



Bien 1. VII. 10



DE SCHISMATE,
SIVE DE
ECCLESIASTICÆ VNITATIS DIVISIONE LIBER VNVS:

IN duodecim Capita eleganti Methodo sectus, in quibus multa nostris his temporibus accommodata continentur.

Authore Iohan. GIOVANO, Doctore Theologo.



LOVANII,
Apud Iohannem Foulerum, Anglum.
M. D. LXXIII.
CVM PRIVILEGIO.
Subsign. De-la Torre.

ad Varsavia

Cogreg. Eremitarū Camald. motis Regii

Augustinus Tract. de vtilitate Ieiunij, qui est Ser. 61. de diuersis.

Concordes nos scit(.i. Diabolus) quòd possidere non possit: vnum Deum nobis diuidere non potest, falsos Deos nobis supponere non potest. Sentit esse vitam nostram charitatem, mortem nostram dissensionem. Lites immisit inter Christianos: quia multos Deos nõ potuit fabricare Christianis sectas multiplicauit, errores seminauit, hæreses instituit. Sed quicquid fecit, de palea Dominica fecit.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO SVO, D. ARNOLDO GANDENSI, MONASTERII S. Rictrudis Martianensis Cœnobiarchæ Meritissimo.



Ncidit in manus meas, R. Pater, multis abhinc annis libellus quidã de Ecclesiasticæ pacis ac vnitatis diuisione, qui cũ multa egregia & nostris his tẽporibus accommodata contineret, sæpenumerò peracerbè tuli, mihi neque tantum suppetere otij, neque in Theologiæ studijs facultatis & cognitionis, vt singulas eius partes animo & cognitione pertractarem. Itaque passus sum eum longo tempore apud me delitescere, atque (vt verum fatear) propemodum eum blattæ & tineæ exedissent, cùm mihi tandem Dei Opt. Max. benignitate locus quidam in Monasterio vestro ab omnibus huius mundi tumultibus semotus & liber concessus est. Quo tẽpore ad extremũ tametsi quotidianis & lectionibus, & concionibus, & ad dis-

putationes Theologicas informandis Religiosorum vestrorum studijs occupatus erã, cœpi mihi suffurari aliquas horas, in quibus maiori forsitã iudicio, sed minori cum otio possem librum istũ & percurrere, & expendere, & si dignus videretur qui in publicam studiosorum vtilitatem edi posset, typis etiam mandare.

Qui dũ mihi inter legendum mirũ in modũ placeret, exarsi frequenter magno desiderio ac studio alienas has operas in lucem emittendi. Videbã enim, esse argumentũ & his temporibus accõmodatum, & hoĩm vsibus pernecessariũ, & ad Dei honorẽ ac gloriã amplificandã inprimis vtile. Qua enim in re melius his deploratissimis hoĩm moribus, atq; adeo in his Ecclesiæ ruinis, perturbatis iã & confusis agminibus populi Dei, non modò infimi quique, sed & Ecclesiæ Proceres operã ac laborẽ suũ insumerent, quàm legẽdis his libris, qui morbo huic tã pestilenti ac contagioso medicinam adferre possent? Videor enim mihi videre illam rerum faciem illosq; tumultus nostris temporibus rediſſe, quos magnus ille Theologus Nazianzenus clamat suo tempore ab ingenijs quibusdam magnis & feruentibus, sed efferatis ac indomitis, excitatos fuiſſe. Atq; hoc vt plurimum, inquit, est quod membra lacerauit atque distraxit, fraternã concordiã diuulsit,

Nazianzenus de moderatione In disputatione seruanda.

tran-

tranquillum vrbium statũ perturbauit, multitudinem furore præcipitem egit, gentes ad bellũ armauit, Reges in mutuum exitium concitauit, Sacerdotes cum plebe, & secum etiã ipsos, plebẽ rursum nõ minus ipsam secũ q̃ cum Sacerdotibus cõmisit, parentes cũ liberis, liberos cum parentibus, viros cum vxoribus, vxores cum viris, hæc omnia beneuolentiæ nomina permiscuit atque confudit, seruos & dominos, discipulos & præceptores, senes & iuuenes, conuulsaq́ & proculcata pudoris lege, quo nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari potest, contumaciæ arrogantiæq́ legem induxit, factiq́ sumus nõ iam tribus ac tribus separatim, quod olim Israëli obiectabatur, nec Israël & Iuda, duo, in[?]uam, illa vnius & eiusdem perangustæ gentis segmenta, sed multò sceleratius per domos & familias, sodalitiaq́ necessaria, ac v[...] in se quisque diuisi sumus vniuersus orbis ter[...]um, vniuersum hominum genus, ad quos Dei verbum fideiq́ doctrina peruagata est. Hæc ille. *Scitè quidẽ & verbis ac sentẽtijs magnificè & grauiter depinxit non tã suorũ, quàm nostrorũ tẽporũ calamitatẽ & cladẽ, in quibus hoĩes quidã nimiũ effrenata licentia & præcipiti audacia ordinẽ oẽm Ecclesiæ perturbarunt, neq́ sinũt amplius illã à Christo Domino descriptã Hierarchiã permanere*

Ingenia magna & feruentia Schismata & tumultus excitãt.

Nostrorũ temporum calamitas.

qua alij sint Apostoli, alij Prophetæ, alij Doctores, alij detur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundē Spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij descretio spirituū, alij genera linguarū, alij interpretatio sermonum: sed omnes volunt esse Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Doctores, omnes Virtutes, &c. Pastorum officium oues sibi arrogant, pes caput fieri contendit, qui est in militum numerum adscriptus, exercitum ducere aggreditur, inuolat denique insolenti temeritate vnumquodque membrum in alterius munus ac officium.

1. Cor. 13

Vtilitas huius libri.

Hoc igitur tam perniciosum Schismatis malum cùm iste liber ad viuū resecet, vt homines fortassis pertinaces, qui nulla argumentorū pondere ac vi superari possunt, non flectat, ita plurimū meo iudicio conducet ad infirmorū animos in vnitate Ecclesiæ stabiliēdos. Hoc est enim quod miserè decepit & fefellit rudes & plebeios quosdā, quoniā nec satis de vnitate Ecclesiæ antè erāt edocti, nec quid sit tunicam Christi inconsutilem conscindere didicerant, cumq; à quibusdam factiosis hominibus prædicari Christum, vitia redargui, vitam sine hominum reprehensione institui, Gehennas intonari, æternam beatitudinē

His verbis, tametsi falso, schismatici & alij ab eis decepti vtūtur.

promitti, audirent: statim inflammabantur animis, atque rapiebantur cupiditate sequendi illas partes, quarum nouissima planè ducunt ad interitum. Quid enim mali, inquiunt, est consociari istis hominibus, qui & sic viuunt, & Christum tam syncerè prædicant, & fratres nostri sunt, & ab illa Religione ac Dei cultu, quē nobis Reges legibus suis & edictis præscripserunt, non discedunt? Nimirum homines hi non intelligūt, quod Augustinus scribit, ab Ecclesia separatos, quandiu contra illam sentiunt, bonos esse nō posse, quia etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis cōuersatio, malos eos facit ipsa diuisio, dicente Domino: Qui mecum non est, aduersum me est. & qui mecum non colligit, spargit. De quibus & alio loco præclarè ait: Euidēter, fratres mei, nihil prodest istis seruare virginitatem, habere continentiam, eleemosynas dare: omnia illa, quæ laudantur in Ecclesia, nihil illis prosunt, quia conscindunt vnitatem. i. tunicam illam charitatis. De qua tunica in eodē loco paulò antè ait: Desuper texta tunica quid significat, nisi charitatem? Desuper texta tunica quid significat, nisi vnitatem? Hanc tunicā attende, quam nec persecutores Christi diuiserūt. Ait enim: Dixerunt inter se, nō diuidamus eam, sed sortem super eam mittamus. Ecce enim au-

Omnium schismaticorum vitā esse malā.

Ep. 7. inter nuper additas ad Fæliciā virginem.

Tract. 14. in Ioan.

diſ[illegible] non cō[illegible]-

Schiſmatici Chriſtũ non prædicãt ſyncere

derant, Christianam Eccleſiam dilaniant. Chriſtũ vero prædicare ſyncerè qui poſſunt, qui eius Spõſam violant? Nec enim, vt quendã hæreticorũ Coryphæũ dixiſſe audio, ſatis eſt, ſi Chriſto Capiti quis cõiungatur. Quomodo enim Capiti coniungi poſſit, qui nõ eſt membrũ in corpore, à quo nefaria ſeparatione ſe ſegregauit? Hũc vero ego cũ Chryſoſtomo, iure nõ diſsimili audeo dicere infideli quouis deteriorem eſſe. Nam negare corpus, qui Caput negat, conſequentiam habet: negare autem cum corpus qui dicit ſe agnoſcere caput, nullam habet conſequentiam.

Homil 50. ad popul. Antioch.

Cur ſchiſmatici vitia redarguant.

At vitia, ſi dijs placet, ſtrenuè redarguit: quaſi ſine his artibus clari atq; magni euaderẽt. Nã ſi, vt Epicurus voluptates ſuas, ſic illi manifeſta & aperta facinora defenderent, quis non eos penitus è mundo exploderet & exibilaret? aut quæ tam inuerecunda meretrix, cum in conſeſſu honeſtiſsimarum matronarum ſedet laudans impudicitiam, non exagitabitur vt putida? Sed neque negamus, fratres noſtros eſſe, quos vnà nobiſcum vnus Deus creauit, & quos vnus pater genuit, non poſſunt non eſſe fratres, cùm de omnibus dictum ſit: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes: & nobis Dominus præcepit ne vocemus quenquam patrẽ in terris, quia nobis eſt

Schiſmatici quomodo ſint fratres noſtri.

Opt lib.4.

vnus

vnus pater in cælis. Non possunt non nobiscum esse fratres, quos eisdẽ sacramentorum visceribus vna mater Ecclesia genuit, quos eodem modo adoptiuos filios Deus Pater excepit. Sed ne insolenter hoc nomine glorientur, quod fratres nostri sint, audiant quid de sui similibus schismaticis Donatistis B. Optatus Mileuitanus scripserit: Non negamus, ait, fratres nostros esse, Opt. lib. 1. *quia nobis & illis est vna spiritualis natiuitas, sed diuersi sunt actus. Nam & Cham, qui Patris sui risit impiè nuditatem, frater innocentium fuit. Sint igitur Chamitæ isti, si velint, fratres nostri, cum omnia quæ in Catholica Ecclesia geruntur, derideant: certè charitas nobiscum tales non coniungit, quos tam longo interuallo cupiditas separat.*

Schismatici sunt fratres nostri, eo modo, quo Cham frater fuit aliorum filiorũ Noe.

Friuola verò excusatio est, qua se populus dicit Regibus suis obtemperare. Quid enim si contra Christũ & Ecclesiam Reges quicquã iubẽt? An cũ Iudæis vociferari non desinent, Nolumus Christum regnare super nos? Itemq́; illud: Nõ habemus Regẽ nisi Cæsarẽ? Apertè, inquit Augustinus, illi Regem Christum recusauerunt, & Regẽ Cæsarẽ elegerunt. Est quidẽ & Cæsar Rex homo hominibus ad humana. Sed alius Rex est ad diuina, alius Rex ad vitam temporalem, alius ad æternam, alius Rex terrenus, alius Rex cælestis.

Regibus cõtra Christum & Ecclesiam nõ esse obtemperãdum. Aug. in tit. Psal. 55.

Rex

Rex terrenus sub Rege cælesti, Rex cælestis super omnia. Non ergo illi, quia dixerunt se habere Regem Cæsarem, peccauerunt, sed quia Regẽ Christum habere noluerunt. Ac ne quisquam putet, Christo soli sic esse adhærendum, ut non necesse habeat adhærere Ecclesiæ: Christus, ait Augustinus, secundùm quod Caput, est Saluator corporis, ille natus ex Virgine crucifixus, qui iã nobis exemplum resurrectionis nostræ in resurrectione suæ carnis ostendit, qui sedet ad dexteram Patris, & pro nobis interpellat, est & hîc, sed in corpore suo, quod est Ecclesia, Corpus coniunctũ est capiti suo, Caput pro corpore clamat: Saule Saule, quid me persequeris? Et corpus in capite suo est, secundùm Apostolum, dicentem: Et simul resuscitauit, & simul sedere fecit in cælestibus, & nos ibi sedemus, & ipse hîc laborat. Nos ibi sedemus secundùm spem, & ille hîc nobiscum est secundùm charitatem. Hæc compago tanquàm vnius hominis, facit duos in carne vna Sponsum & Sponsam.

Christus totus est caput, & corpus, nec ista duo à seinuicem separantur

Matth.18.

Quare impiè mihi videntur asserere, qui Caput se sequi dicunt, & nolũt esse in corpore, cùm in nullum aliud membrum aut sensus, aut motus influatur, quod nõ cum capite cohæreat. Sed qua eos ratione, qui ab Ecclesia decepti recesserunt, in viam reuocabimus? Ego certè faciliorẽ nullã

Falso aiũt se sequi caput, qui nõ sunt in corpore.

aliam

aliam rationem, cum omnia circumlustro, reperire possum, quàm quæ in hoc libello secundum ordine Capitum describitur. Si qui autem tam hebetes sint, vt ista non capiant, persuadeamus eis, vt ad vnitatem Ecclesiæ redeant, capillorũ suorum exemplo. Quid enim, ait Augustinus, vilius in corpore tuo capillus tuus, quid contẽptius quid abiectius? Et tamen si malè te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis non seruat æqualitatem: & tu in membris Christi non tenes vnitatem. Item: Tunc se bene habet corpus tuum, quando sibi concordant membra tua: tũc diceris sanus, tunc bene vales. Si autem aliquid in tuo corpore dissentiat ab alijs partibus, quæris qui emendet. Cur ergo non quæris emendari, vt compagini membrorum Christi reuoceris, & cõgruas in ipso corpore & tuo? Denique Pagani colentes multos falsos Deos, diuersos, aduersos, imò & litigantes, atque inter se inuicem hostili odio ardescentes, Iunonẽ videlicet, Herculem, Vulcanum & Martem: tenent tamen in eis colendis qualemcunque vnitatem. Nam cum pariter eãt ad eorum templa, illis sibi iratis, ipsi concordes sunt. Ecce illi multos Deos falsos nõ diuisi colũt. Nunquid nos vnum verum ideò inuenimus, & sub vno in vnitate non simus? Sed meipsum reprimam, ne extra modum epistolæ procedam: &

Serm. de ieiunio.

Familiaria exempla quibus monemur seruare vnitatem.

Paulò antè in eodem Sermone.

Schismatici deteriores Paganis

hæc

hæc nos iste liber fusius & copiosius docebit, de cuius vtilitate idcirco paulo vberius volui præfari, ne quis existimaret, in eo edendo manem atque futilem operam à me esse consumptam.

Quem librum vt R.D.V. inscriberem ac nũcuparem, mouebat me imprimis, quòd cùm ante oculos meos cernerem R. V. de tota Republica literaria bene meritam esse, in cuius gratiam literarum & virtutis Domicilium publicum in Academia Duacensi magnificentissimè extruxit, & sacrã Theologiam temporum iniuria à Monasterio suo exulantem quasi postliminio reuocauit, ita non putabam huic operi, quod in multorum vtilitatem editurus essem, patrocinium apud publicum literarum Patronum defuturum. Stimulabat me etiam, vt hoc opusculum de Schismate conscriptum nomini suo consecrarem, quòd intellexerim, Familiæ vestræ Tamplenuianæ semper & pietatis erga Deum, & in Regem, fidei atque obseruantiæ præclara testimonia dedisse. Atque vt omittam priscam illam auorum nostrorum memoriam, in qua & Patriæ propugnatio vobis hoc cognomen Gandensium peperit, & celeberrimum illud vestro nomine insignitum apud Insulenses Hospitium, quod vestram gloriam ab interitu vin-

vindicauit: memineram non ita multò poſt leuiſsimæ Geuſiorum ſectæ circiter Monaſterium Martianenſe fractas & diſsipatas vires, reliquias eorum ad Caſtrum Tanpleuuianum magna frequentia diuertiſſe. Vbi mater veſtra lectiſsima fœmina & ferè octogenaria, cùm illorum impetus inhibere non poſſet, prudenter animi ſui dolorem diſsimulauit: mox tentata de recta in Deum fide deſerenda, viuere ſe & mori velle in antiqua Maiorum ſuorum Religione reſpondit.

Poſtremò maximis & infinitis ſumptibus tanto hominum numero alendo erogatis, ab illis Patriæ & Templorum deformatoribus ſpoliata, eodem tamen vultu & animi alacritate ſemper fuit, parui admodum ducens, iſta formæ ſiue bona, ſiue ludibria, propter Chriſtum & Catholicam eius fidem amiſiſſe. Acceperam præterea in illa tum nefaria contra Regem Catholicum coniuratione, cùm frater ille veſter Tanpleuuiæ Dominus vir fortiſsimus à factioſis quibuſdam hominibus vrgeretur, vt eorum fœderi ſeu potiùs perfidiæ ſubſcriberet, acriter eum illorum poſtulatis reſtitiſſe. Qui poſt illum tunc exercitum hoſtium copioſiſsimum diuino auxilio & Albani Ducis virtute militari profligatum,

nunc iterum vnius turmæ ordinariorum Regis Equitum Antesignanus egregiam operam Regi & Reip. nauat. Quid enim dicā (soli Respub.) cùm illa sine Rege tā studioso Catholicæ Religionis propugnatore (id quod multi nūc seditiosi ciues meditantur) nihil aliud quā multorū capitum bellua, sine fide, sine Rege, sine lege vitijs magis quàm virtutibus abundaret? Sed de Regis Catholici in terris authoritate, & quāta eius in populo Maiestas ac veneratio esse debet, quoniā hanc vnā rē Christianis in officio continēdis, ne ad hæreses & schismata dilabantur, maximè necessariam reor, eandemq; nunc à plerisque partim labefactari, partim impudentissimè conculcari intelligo, aliud mihi vt spero dabitur scribendi tēpus. Nūc illud, quòd in præsenti agitur, prosequamur. In quo vniuersam simul Nobilitatem hanc Belgicam vehementer non laudare non possum, quæ factioni huic populari, quæ tota in Regiam potentiam atque in Dei Ecclesiam conspirauit, omnibus suis viribus restitit.
Est enim ea demum vera Nobilitas, quæ cum virtute ac fide coniuncta est, à qua qui deficiūt, numerent licet Natos Natorum, & qui nascētur ab illis, ignauos illos potius ac degeneres dixerim, quàm nobiles & potentes. Familiæ sinè quidē vestræ inter alios nobilissimos huius Patriæ

trix viros hæc laus tam insignis suo merito debetur, cùm ex ea eodem tempore, rebus difficillimis, vnus ille quē modò nominaui, Tanpleuuiæ Dominus, itemq́; alter eius minor natu frater, sed animi magnitudine penè par, tertius quoque nepos ex sorore, atque etiam sororis alterius maritus vir fortis atque strenuus, effluxerint, qui in acie iam per aliquot menses sunt, vt perfidorum ac rebellium conatus vel ipsorum corporū suorum obiectu retundant. Qui igitur Dei ac vnitatis Ecclesiæ, quæ in Regis nostri Catholici authoritate ac salute magna ex parte sita est, causam ex vna familia tam multi tamq́; fortiter agunt, eorúmne ego vni hunc de Ecclesiastica vnitatis diuisione libellum non inscriberem? Ac illi quidem iam in eo loco sunt, vbi ad tubarum clangorem & armorum strepitū exercitati, librum nullum inspicere possunt. Extitisti verò tu solus R. P. ex illo numero oriūdus, cui vt hos labores ac vigilias siue apud me depositas, siue Dei prouidentia & nutu in manus meas delatas, dedicarem, præter illa quæ suprà iā exposui tam multa, vel ipsum professionis meæ officium hortatur. Cui enim alij ista offerrem, quàm ei, qui me & Theologiæ Professorem in Monasterium suum adsciuit, & cui non minimum certè ab his duobus annis elapsis me debere

bere humanitatis suæ erga me causa profiteor & promeruero. Erit igitur hoc ipsum quantulumcū que est, siue Professionis meæ officium, siue familiæ vestræ Tanpleuuitanæ studium, siue in R.D.V. obseruantiæ debitū testimonium. De reliquo nihil est, nisi me Deum Opt. Max. deprecari velle, vt R.P.V. cùm toti Reip. Christianæ, tum inprimis huic monasterio suo Martianensi (quod si paulū in his tam præclaris cœptis tuis perseueraueris, vnà cum pietate sacras literas auidissimè imbibet) quàm diutissimè conseruet incolumem. Martianis, ex Musæolo nostro 5. KL. Septemb. 1572.

R.P.V. addictissimus
Ricardus Hallus.

Summa Libri, & Capitum singulorum Index proximè ante Authoris Præfationem, subsequitur.

CAPITVM INDEX.

Præfatio, in qua Authoris pium studium declaratur, & admonentur Ecclesiæ Proceres ac Priuati, sui officij in euitãdo Schismate.



Riusquam hunc, quem de Schismate cõscripturus sum Tractatum, ingredior: existimaui, fratres meos tam illos, qui sani & incolumes sunt, atque in Catholicæ Ecclesię sinu per gratiam Dei perseuerant, quàm eos, qui vel ignoratione, vel infirmitate, vel alia quauis ratione ducti & impulsi ceciderunt, atque ab vnitate populi Dei, ab integritate corporis Christi execti sunt, vel semetipsos præciderunt, compellãdos primùm esse & obtestandos, vt si fortè dura & rigidior nostra admonitio illis videbitur, non illam ab vlla animi acerbitate, sed à vehementi quodam affectu. nõ ab odio, sed à beneuolo & amanti pectore: non ab inuidia, sed à charitate, proficisci & dimanare existiment. Habet enim verus ac vehemẽs amor suas acres obiurgationes, atq; aliquoties etiam castigationes seueriores. Nescit infucatus & syncerus, fraternæque salutis cupidus affectus, aut seruiliter palpare, aut fratrũ ruinã & interitũ negligere & dissimulare, aut ad atroicia cõmissa cõniuere. Est illud perditissimorum assentatorum

torum proprium, applaudere ad maleficia, ſcelera comprobare, & flagitioſa facta encomijs & laudibus efferre.

Hos propheticus ſermo percellit graui anathemate, quãdo ait: Væ qui dicitis malũ bonũ, & bonum malũ Atq; altero loco: Tu verò odiſti diſciplinã, & proieciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cũ eo, & cum adulteris portionẽ tuã ponebas. Os tuũ abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: ac proinde ait Dominus: Arguã te, & ſtatuam cõtra facẽ tuam. Sit illud omnibus Pſeudoprophetis cõmune, vt lenonicẽtur vlceratis & vitioſis impiorum affectibus, vt ſanent cõtritionẽ filiæ populi Dei ad ignominiã, dicẽtes: Pax pax, cum nõ eſt pax: vt liniãt parietẽ abſq; paleis & tẽperamento, quẽ Dominus ſe deſtructurum cõminatur: Et cõplebo, inquiens, indignationẽ meã in pariete, & in his qui liniunt eum abſq; tẽperamento. Quorũ ſceleratæ fraudi & aſſentationi eodẽ loco interminatus, ait: Væ qui cõſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorũ. Et violabãt me ad populũ meũ, propter pugillũ hordei, & fragmẽ panis, vt interficerẽt animas, quæ nõ moriuntur: &

Eſa. 5.
Pſal. 49.
Hierem. 8.
Ezech. 13.

viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Propter hoc, hæc Dominus Deus: Ecce, ego ad puluillos vestros, quib⁹ vos capitis aías volantes, & dirumpã eos de brachijs vestris, & dimittã animas quas vos capitis, animas ad volandũ. Et dirumpam ceruicalia vestra, & liberabo populũ meũ de manu vestra, neque erũt vltrà in manibus vestris ad prędandũ: & scietis quia ego Domin⁹.

Sit igitur eorũ, qui cauponãtur Verbũ Dei, quiq; adblandiuntur ijs qui ambulãt iuxta prauitatẽ cordis sui, puluillos cõsuere, animasq; viuificare quę nõ viuunt, & aías interficere q̃ nõ moriuntur. Suis enim adulterinis doctrinis, & mẽdacibus ꝓmissis miseros fallaciter mortales circumueniũt, illis fœlicitatẽ & vitã pollicẽtes, quo-
Rom.16. rũ corda per dulces sermones & benedictiones seduxerunt: illis aũt vicissim grandia pericula detonãtes, qui ipsorũ errores sequuntur, qui vana & futilia cõmenta respuunt, qui à veraci & orthodoxa doctrina & ab Ecclesiæ vnitate se abduci nõ sinunt. Absit aũt, vt nos istorũ morẽ & cõsuetudinẽ imitemur, & ad aperta ac manifesta pietatis vulnera, tantumq; tot nostrorũ fratrũ discrimẽ ac periculũ, vel scelerate assente-
Aug. Ep.15 mur, vel fraudulẽter cõniueamus, vel timidè mussitemus. Melius enim (ait August.) tumor capitis dolet, dũ curatur: quam cũ

ei parcitur, & nō sanatur. Hoc est enim qđ acutè vidit, qui dixit, vtiliores esse plerūq; inimicos iurgátes, quàm amicos obiurgare metuétes. Et alio loco, nō esse amicitias ait, Christianas, in qbus locū habet prouerbiū: Obsequiū amicos, veritas odiū parit. Fideliora enī sunt vulnera amici, qùá oscula inimici. Quamobrē sanctissimos Catholicæ Matris Ecclesiæ Præsules Patres nostros, & illius dulcissimos filios fratres nostros, & oīo oés eos, qui vel integri & incolumes persistunt adhuc, vel sæuissimi Hostis insidijs sauciati corruerunt, suppliciter oro & obtestor, vt patiēter hác meá adhortationē velint perlegere, atq; etiá, si alicubi asperior videri possit, nō indignentur, aut ęgrè ferant, scientes, illud (quicquid fuerit acerbitatis) nō ab odio, sed amore, quo salutē vniuersorū exoptē, & dolore, quo illorū, qui ceciderūt, ruiná deplorē, & periculi magnitudine, quá vt omnes declinare possint, magnopere cupiá, pficisci. Illud verò secū reputēt, putrida vlcera, & saniosas vulnerum cicatrices, nō nisi acribus & mordētibus medicamētis purgari & sanari solere, (nulla enī remedia, q̄ vulneribꝰ adhibētur, tá faciunt dolorē, qùá quæ sunt salutaria) atq; etiá crudele & inhumanum esse, vt vel qui phrenesi agūtur & sibimet exitium inferre cogitát, vel q lethargico sopore obdormiscūt, & suū periculū nō sentiūt, suæ

Aug. Ep. 19.

Cicero in ep. ad Octauium.

Aug sæpe his similitudinibus vtitur, vt epist. 167. & psal. 34.

Conc,2. & Serm.59. de verbis, Domini & alias sæpe.

relinquantur voluntati. Licet itaq; saucius ad tempus pharmaci acrimonia indoleat, quòd acerbiore doloris morsu pungatur, licet phreneticus vociferetur & exclamet, quòd suæ perniciosæ cupiditati obsistitur, licet lethargicus indignetur & succenseat quòd lętali somno indulgere nō possit: postea tamen, cùm sanitaté & integrá valetudiné cōsequuti fuerint, gratias acturi sunt illis, quorū beneficio & sedulitate sanitas recuperata, & mortis vis ac dolor fuerat depulsus. Neq; certè sauciū amasse videretur chirurgus, si ipsius vulnus altius putrescere sineret, & ab acriore medicamēto adhibédo abstineret. Crudelis est enim medicus, qui exaudit hominé, & parcit vulneri ac putredini. Nec phrenesi correptum, aut lethargo cōsopitū amicum dilexisse putarētur ij, qui suis ipsum cupiditatibus obsequi tolerassent. Ab amore itaque & medicus impellitur, vt acria vulneri infundat quò dolor dolori mederi possit: & amici coguntur, vt vel noxium insani & furentis hominis votum præpediant, vel lethargici desiderium impleri non sinant.

Aug. in Ps. 33. Conc. 2

Ab eodé igitur amoris & charitatis fonte omnes acerbiores nostrę admonitionis correptiones (si quæ fortè fuerint) profluxisse putate. Testis est enī Dominus Iesus, in cuius cōspectu hęc scribo, & cuius cęle

stem

stē opē supplex imploro, vt mihi illa sugge rat, quę salutaria sunt, & fratrū saluti accō- moda. Testis est & cōsciētia mea corā Deo, quòd nec odio, nec æmulatione cuiusquā hoīs, nec malignitate, & inuidētia, sed solo veritatis studio, & fraternæ salutis amore adductus, ea, quę in hoc Tractatu mihi ꝓ- posui, scripturus sum. Video enim, & su- spirās & gemēs video, cōplures alioqui in- nocentes & probos hoiēs, sacrilego Schi- smatis ꝑcipitio ideo immersos, quòd quā- tum inde salutis suæ periculū immineat & creetur, nō intelligāt: adeò vt prophetica illa Domini querela, nostro etiā seculo lo- cū habeat: Propterea captiuus ductus est Esai.5.
populus meus, quia nō habuit scientiā. Nā quia veritatis certā intelligentiā nō didice runt, Schismatis & errorū laqueis cōplu- res illigati inhęrent. Vt aūt Christiani Le- ctores hanc scientiā assequantur, vtq; palā fiat, quot modis & quatenus horrēdo Schi smatis sacrilegio hoiēs obnoxij reddantur, atq; etiā quantū discriminis, nō solùm salu tis, sed interitus etiā Schismaticis impen- deat: hoc quantuluncunq; laboris, cōmu- nis omniū salutis causa, suscepturi sumus.

Vos verò, honorādi Patres, Sanctissimi Dominici Gregis Pastores, & Episcopi, charissimiq; Fratres, obsecro, & in Christo cōmunis nostrę Salutis authore obtestor,

vt nõ minore ſtudio & charitate hęc legatis, quàm ego ſcripſerim: vtq; ad vnũ ſcopum oẽs collimemus, noſtrá ſcilicet & fratrum noſtrorum æterná ſalutẽ. Ego quidẽ quos intra meipsũ cogitationũ ęſtus, quaſque animi & cõſcientiæ agitationes ſentiá & experiar, nec tacere debeo, nec diſsimulare poſſum. Quodq; ipſemet ſępius cogitatione voluo, id mihi cum alijs cõpluribꝰ excellentibus & ſanctis viris ſuſpicor commune fuiſſe. Quæris, chariſsime Lector, quidná id ſit? Dicá apertè, dicá ingenuè, mœſtus ac lugens dicá. Cum nobis Eccleſiæ cõmiſſæ fuerant, cumque gubernacula Parochiarũ & Eccleſiaſticæ Præfecturæ, his erroribus aut nondũ planè exortis, aut in angulis ſerpentũ more deliteſcentibus, penes nos extiterant, cumq; iá pace frueremur, & Religioni adminiſtrádę præeſſemus, potiremurque ea, qua cõuenit, in regendo ouili Chriſti poteſtate: vereor, ne vna hac in re noſtro officio defuerimus, quòd populũ Dei cõtra mox inualeſcẽtes tẽpeſtates, Schiſmatiſque & hęreſum procellas, minus pręmunierimus. Complures náque in fœdá Schiſmatis peſtẽ atque funeſtam hęreſeos cõmunionem immerſi ſunt, q̃ ſi prius edocti fuiſsẽt, quid Schiſma eſſet quáque atrox & horrendũ ſacrilegiũ eſſet, quantũque à ſalute, quæ eſt in Chriſto, abducat,

ducat, Christique beneficijs & cęlesti gratia orbatos, æternis gehennę supplicijs obnoxios efficiat: profectò sibi cauissent, neque tá facilè se vel Schismatis scelere, vel hæreticorú sordida colluuie & execranda cómunione inquinari paterétur. Cum itaque illorum lapsus & ruiná recordor, qui ideo corruerút, quòd parú instructi à nobis & armati fuerát, nostraque ideò partim culpa cecidisse videntur: nó possum oém penitus excutere timoré, imò vocé illius minacé vehementer reformido, qui dixit: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua ipse & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguiné autem eius de manu tua requirá. Cum hęc méte & cogitatione cóplector, subit animum illa prophetica exclamatio: Væ mihi quia tacui. Sacerdos enim, ait Beda, ingrediés & egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia irá cótra se occulti Iudicis prouocat, si sine prędicationis sonitu incedit.

Ezech. 3. Esai. 6. Beda in Exod. 28.

Et quamuis ipsorum admiranda constantia, qui non solùm fortunis & facultatibus exui, & in exilium voluntarium secedere, sed vinculis & carcere concludi, atque etiam (si Dominus sic voluerit & permiserit) mortem oppetere, & quæuis tormenta perpeti sunt parati,

potius q̃uá vel maxima vel minima in re, ſe ſchiſmatis ſorde pollui ſinát(tátũ abeſt, vt vlli hæreticæ doctrinę aſſenſum prębere velint)oĩbus palá clamitet,& multò clarius,q̃uá oris aut corporis vox, nõ ſolùm in auribus,ſed in oculis etiá & mẽtibus hominũ prędicet & loquatur,nullo modo cũ ſchiſmaticis & hæreticis cõmunicandum eſſe:tamen ſi idipſum,dũ adhuc pax eſſet, antequá gurges hæreſum inundaſſet,priuſquá præliũ & pugna cõplures è fratribus colliſiſſet,verbo & prędicatione aſsidua & vehementi animis hoĩm altius infixũ fuiſſet,& penitus inſculptum, minus profectò multi ad hanc ſchiſmatis & hæreſũ propè oĩm colluuionẽ deſciuiſſent. Sicut itaq; afflictiones, quas ſancti Epiſcopi & pij ſacerdotes pro orthodoxa fide ſuſtinent,complures in Catholicæ Religionis profeſsione hodierno die corroborãt: ſic & pij ſermonis adhortatio, & recta de ijs rebus inſtitutio,ſi tempore fuiſſet adhibita,multos à lapſu cohibuiſſet, & magnam ſuſtuliſſet populi ruentis multitudinem, ne tam facilè ſe ſchiſmaticis aggregarent.

Obiectio. At fortaſsis dicturus es, plebis erratum grauius & maius futurũ fuiſſe,ſi prius didiciſſet,quantũ malorum ſchiſmati inſit,& tamen poſtea ad ſchiſmaticos declinaſſet.

Reſponſio Rectè quidẽ dicis: Scienti enim bonũ facere, & nõ facienti, peccatum eſt illi,ſicut

Iacobus Apoſtolus ſcripſit. Melius enim erat illis, inquit Apoſtolorũ Princeps, viá iuſtitiæ nõ cognoſcere, quá poſt cognitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditũ eſt ſancto mandato. Et ſicut Dñs docuit, Seruus ſciens voluntaté Domini, & nõ ſe pręparás, nec faciẽs ſecundùm voluntaté eius, vapulabit multis. Ecce, inquit Auguſt. vbi oſtẽdit, peccare grauius ſcië tẽ, quá neſcienté, nec tamẽ ideo cõfugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quiſquá requirat excuſationé: ſed neque idcircò eſt doctrina cohibéda, imò potiùs oẽs, quæ recta ſunt & Deo placent, doceri debent, vt pauciores ab hoſtibus veritatis ſeduci poſſent. Nã tametſi aliqui vel minarũ terrore, vel ſuppliciorũ acerbitate, vel periculorũ metu, à recta via & ratione auellerentur: tamen cõplures nullis Sathanæ machinis cederẽt, ſi modò quid ſequẽdũ, quid vitandũ eſſet, prius edocti fuiſsẽt, ſed inuicti & inexpubnabiles permanſiſſent, neq; inſidijs & fraudibus luporũ de dignitate orthodoxæ doctrinæ, & gremio Catholicæ Eccleſiæ deijcerentur. Iacob 4. 2. Petr. 2. Luc. 12. Lib. de gratia & libero arbitr. Cap. 8

Neq; enim, id quod hodie (proh nefas) cõplures faciũt, ſchiſmaticá & nefariá cõmunioné de peruerſi hęretici manu reciperẽt, nõ ſuo flagitio excuſationes pręte-xerẽt, nõ dicerent id quod frequentiſsimè dicunt: Nos non aliud quàm pané & vinũ

accepimus, ministri nō cōsecrát: cōmunem: itaq; & prophanū pané esse sciētes, absque scrupulo cōscientiæ simul cū illis māducauimus. Quid enim ꝓhibet, quò minus cū illis comedamus & bibamus? Hæc & istiusmodi, solēt suæ impietati tanquá velaméta quædá oppandere, ignorátes quòd quádo profanum, imò pollutū pané (ná sacrilegis & hęreticis mysterijs pollutus est) accipiát ab hæretico ministro, tunc certè Corpus & Sanguiné D Iesu, quod in tremendis mysterijs dispensatur, abijciunt. Nō enim cohærere potest Corpus Christi cum pane polluto, neque cōsociari Cómunio Catholicæ Ecclesiæ, cū hæretica cómunione. Nō potestis, ait Paulus, Calicé Domini bibere, & calicé Dæmoniorum: nō potestis mēsæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorū. Quicunque ergo hác cōmunionem approbát, alterá improbent necesse est. Si igitur panis ꝓfani cómunionem admittis, Corporis Christi cōmunionem abdicas & deseris. Sed vna est Christi Cómunio: ea certè nō potest simul esse in Catholica Ecclesia, & schismaticorū cōciliabulis: intus, & foris. Vnus est panis Christi: is non potest esse pariter profanus panis, & Corpus Christi. Vnde igitur fit, vt reiecto Christi Corpore, ꝓfanum loco ipsius pané sumas? Quibus supplicijs, quáta dánatione digni sunt, qui hoc patrare audēt? Iá verò cū di-

1. Cor. 10.

Similiter argumentatur D. Paulus.

citur, ministros nõ consecrare, vtputa qui ipsimet ritè & legitimè ordinati non sunt, sed iniustè & illegitimè sacerdotalia officia inuadunt: sicuti verũ est quod dicitur, sic illorũ scelus auget, qui ab istiusmodi funestá cõmunionem percipiunt. Ab illis enim adulterina Sacramenta sumunt, quos ipsi nõ solũ hæreticos, sed illegitimos functionis Ecclesiasticæ vsurpatores esse fatentur, eorumq; participes fiunt. Ná si, vt Iohánes scripsit: Qui dicit istiusmodi seductori, Aue, cõmunicat operibus illius malignis: Ep.2. C.1.
multò ꝑfectò magis cõmunicat, qui simul cũ illo ad sacrilegá mẽsam accedit Cęterũ de istis rebus posteà copiosius disputandi aptus & opportunus erit locus. Tanta aũt pietatis clades, & tá misera ac deplorata populi ruina (vt eò, vnde deflexit, reuertatur oratio) inde cõsecuta est, quòd maxima plebis pars atq; etiá nõnulli Sacerdotũ ignorauerint, quá perniciosa & pestilẽs res sit hęc schismatis sordida sentina. Ná licet paucis exceptis, oẽs Episcopi totius orbis, integri ꝑstiterint, & aduersus hác calamitosá corruptelá oĩbus neruis depugnauerint, ineaq́ue causa vsq; ad morté ꝑ Dei gratiá decertaturi sint, simulq́; immensa doctorũ hoĩm multitudo infinitos labores, damna & afflictiones sustineát, dum cõtra nouatores pugnẽt, ac schismati assẽtire recusẽt: tamẽ magna plebis pars, & Pastorũ q tá in ciuitatib⁹

in ijs videlicet Regionibus, quæ iam à fide desciuerunt, quā ruri, parœcijs pſidebāt, de verę religionis gradu deiecti, & deturbati sunt. Perindeque in his locis euenit, ac in perfido exercitu cōtingere solet. Nā sicut illic, cum Cēturiones ac ipsorū cohortes, à Tribunis & summo Duce, ad hostes defi-ciūt, ingēs totius exercitus turbatio exo-ritur & cōfusio: sic in Dei exercitu cū Pa-rochi & Pastores ab Episcoporū ductu & societate se ad fidei hostes & pietatis euer sores segregāt, cōtinuò efficitur misera & horrēda Ecclesiæ facies, & necessariò cōse quitur, vt grauis & calamitosa populo Dei inferatur Religionis clades. Id qđ hodier-no die cū multarū aīarū iactura regiones quædā & ciuitates liberæ experiūtur. Cu-ius quidē rei idcirco mentionē facio, vt vel earū exēplo reliqua Regna & Prouinciæ sibi maturè cōsulant, & solerter procurēt, ne qd apud illos huiusmodi turbarū ac tē pestatū oriatur. Cōplures enim sine dubio vagātur p oēs populos nequissimi seducto res, qui claudestinis suis corruptelis popu lū inficere nituntur, qui in obscuris angu-lis errorū venena, sicubi impunè possunt, in illorū mentes, quos instabiles cōperiūt, effundūt, q semina simul seditionis & dissi diorū serunt. & sicut exitiosa dogmata dis sipāt, vt populū à Deo abducāt, sic p fictas & falsas calūnias & criminationes Episco-

pos pios &orthodoxos p̄sbyteros in odiũ & inuidiã trahere cõtendunt. Ac ne quid impietati eorũ & ſceleri deeſſet, ſubditos quoq; cõtra legitimos Principes incitant, & ad rebellionẽ atq; impia arma impellũt. Hiſce flagitioſis Chriſtianæ Reip. ꝑturbatoribus ſeſe imprimis per veritatis aſsiduã p̄dicationẽ obijcere debẽt Epiſcopi, Preſbyteri & Doctores, quorũ opera populus & diligẽter inſtituend⁹ eſt, & omni ratione vndique circũſepiendus, ne vſquã rabidis luporũ dentibus lanietur, & inferiores Paſtores admonendi, vt ſolicitè gregi Chriſti inuigilent, & inſidioſos impoſtores propellãt, ne quas in ouili Chriſti cædes ac mactatiões Dominici pecoris faciãt. Epiſcoporũ aũt vigilãtię ſuccurrere & opitulari debent Chriſtiani Pricipes ſeueris legib⁹, ſanctionibus & edictis, q̄bus & antiqua atque orthodoxa Religio corroboretur, & peſtilentes ac ꝓdigioſæ hæreſum peſtes reprimãtur, omniſque ꝓfana nouitas cõtra vetuſtã & vniuerſalẽ Eccleſiæ fidem emergens, elidatur & ſubſidat. Si Principes Chriſtiani & Epiſcopi earũ Prouĩciarũ, q̄ adhuc pacatæ vidẽtur, his tãtis malis nõ moueãtur, ſi adhuc ſomno, otio, luxui, & voluptatibus indulgere pergant, ſi nõ expergiſcãtur: quid quęſo aliud cõſequi poterit, niſi vt ipſi cõſimili exitio inuoluãtur, atq; vniuerſa demũ Eccleſia in grauiſsimã tẽpeſtatem & perſe

cutionē incidat? Iá ení grauiter cōcufsit & labefactauit cæleſte Chriſti ędificiū Sathanas, & p ſuos pſeudoapoſtolos myſterium iniquitatis cōtinuò operatur, plurimoſque quotidie pſtratos ad interitū rapit. Illius aūt aſſultibus ſi nō ſe milites Chriſti & Eccleſię duces ſtrenuè oppoſuerit, tremendā toti^{9} Eccleſiæ ſtragē editurus eſt. Optima aūt repugnandi ratio eſt, ſi nec in minimis rebus ſeductoris perſuaſionibus Chriſtiani ceſſerint. (Nā qui ſpernit modica, ſicut Sa-
Eccleſ. 19. piēs dicit, paulatim decidet) ſi nihil qcquā eorū, q̄ per traditionē à patribus acceperūt ſibi è manib^{9} extorqueri patiātur, ſi primis incurſionibus illius veteratoris aduerſentur, & maleſuadis illecebris reſiſtāt. Nā vbi cōſcientiā Chriſtiani hoīs in his, q̄ minoris momēti vidētur, ſauciauerit, atque vt in rebus leuiculis ab Eccleſia diſſentiat, impulerit: illico tanquā captiuum pertrahit, tandemque in ipſum barathrū pręcipitē agit.

Nos itaque, vt verè pij, orthodoxi & Catholici intelligerēt, quo pacto oēm tā hęreſeos, quā ſchiſmatis labē & corruptelā effugiāt, atq; in Catholicę Eccleſię vnitate ac doctrina ſe cōtinere poſsint, hūc de ſchiſmate Tractatum ſumus aggreſsi. Nam quiſquis ſe ab impura & ſordida Schiſmatis corruptela integrum conſeruauerit, is profectò vniuerſam tabidæ hæreſeos cōtagionē declinabit. Sed iá ipſum opus ingrediamur.

Quanta sit Ecclesiastica pacis & concordia maiestas, & à quibus authoribus profecta, quibusq; ea vinculis colligetur.

CAPVT PRIMVM.



VONIAM de Schismate dicere instituimus, cum quo simul rixarum, dissidiorum, & simultatum immensum semper agmen in populum Dei concordem irrumpere & influere solet, quibus Ecclesiæ pax, & vnitas Spiritus proscinditur, & nefandè dilaceratur: consentaneum visum est, pauca prius de ampla illa Ecclesiasticæ vnitatis ratione, qua vniuersus Dei populus in vnũ corpus compingitur & coalescit, breuiter disputare. Nam cùm quantus sit vnitatis & concordiæ huius cælestis splendor, & quibus ea firmamentis ac rationibus diuinitus cõstabilita sit, perspexerimus: tum simul etiã perspiciemus, quã atra & deformis sit Schismatis fœditas, & è quibus ipsa primordijs profundi & pullulascere sit solita. Nam ex contra-

riorum altero, alterum posse apertiùs explanari, accuratissimi Artium & Methodorum Magistri literis tradiderunt.

Schisma cuius societatis sit diruptio.

Et quoniā non cuiusuis initæ & collectæ Societatis, sed Ecclesiasticę solius diruptio efficitur Schisma, de ipsa Ecclesiæ vnitate, quæ diuinitus compingitur & adunatur, hic nobis sermo instituendus est. Sunt enim aliæ quędam cōsociationes, siue Paganorum & Infidelium, siue Iudæorum, siue Turcarum, siue Hæreticorum & Schismaticorum, quæ quidem quoniam aut humanis & ciuilibus, aut falsis & adumbratis, aut à se confictis Institutionibus, & Ritibus inter se conglutinantur, atq; ab vnitate Ecclesiæ distinguntur, & ab vna illius Fide & Communione desciscunt, ab Ecclesiastica quidem illa (de qua loquimur) compage alieni existunt. Igitur etiamsi quandam inter se pacem & concordiam videantur fouere, hanc tamen (de qua agimus) cælitus institutam, credentium populorum vnitatem non assequuntur.

De Pace inter infideles, Turcas & hæreticos.

Cęterùm & illa ipsa pax & concordia, quę vel inter Infideles, vel male credentes plebis turbas alitur, etsi summam hanc, quæ in sola Catholica Ecclesia com-

comparatur, fœlicitatem, & internæ ac ſpiritualis vnitatis beatitudinem nō attingit: multorum tamen, & magnorum emolumentorum conciliatrix eſt. Id ipſi etiam Ethnici perſpexerunt: Concordia ſcilicet res paruas creſcere, diſcordia verò maximas dilabi. Hinc egregio quodam & memorabili exemplo Sertorius ſuos milites adhuc feros, nec bellicę cōcertationi aſſuetos, ad mutuum complexum & amorem adhortatus eſt.

Valerius Max. lib. 7. c. 3. & Plutarchus in Sertorio.

Nam cùm duos equos in mediam coronam produci iuſsiſſet, quorum alter macilentus & debilis exiſteret, alter obeſus & fortis: duos item milites, diſparis quidem conditionis: (Nam hic erat perpuſillus & imbecillus, ille autem alter ingenti & valido corpore præpollebat) hoc ſpectaculo militibus propoſito, mandat, vt imbellis ille nanus, valentioris equi: potens autem & ſtrenuus alter, imbecillioris caudam abrumperet. Vterque, quod imperatum erat, aggreditur. Perpuſillus & impotens caudæ ſetas ſingulas crinitim abripit, totámque eam tandem expilat: at potens & ſtrenuus miles, integram pariter imbecilli equuli caudam abrumpere volens, & ſe, & equum

grauiſsimè fatigauit, dum ille modò equum per caudam traheret, modò verò traheretur, nec profecit quicquã. Hoc exemplo prudens ille Imperator ſuos milites ad mutuam concordiam & conſenſum adhortatus eſt: docens, copias etiam exiguas & imbecillas, inuictas fore, ſi inuicem concordes cohęrerent, ingenteſque exercitus fundi & ſuperari poſſe, ſi à ſe inuicem milites diſsiderent.

Scylurus. Et Scylurus, vt eſt apud Plutarchum, cùm relictis octoginta maribus filijs, obiturus eſſet: iaculorum faſciculum vnicuique proponens, confringere iubebat. Verùm ſingulis ſe id poſſe negantibus, ipſe cùm ſingula iacula excepiſſet, facilè omnia perfregit: ſic illos docens, ſi vnà eſſe perſeuerarent, firmos validoſq; fore: ſin diſſoluti diſsidenteſque forent, infirmos ac debiles futuros. Neq; ignota eſt illa Menenij Agrippæ, de corporis & membrorum pugna & conflictu ſimilitudo, qua plebem Romanã tumultuantem ſedauit, & populum Patribus offenſum in gratiam redire perſuaſit.

Liuius lib. 2. Decad. 1

Verùm quoniã Apoſtolus eâdẽ ſępius ſimilitudine eſt vſus, ad exprimendum myſtici Corporis Chriſti, & ſingulorum ipſius membrorum, mutuum conſenſum

Rom. 12. 1 Cor. 12. Epheſ. 4.

ſum, & concinnã atque admirabilem cõuenientiam: de ea nobis ſermo pòſt inſtituetur, cùm de Eccleſiæ compaginata & ſolidè compacta Vnitate dicemus. Nunc autem hoc agamus, quod eſt huius loci proprium. Loquimur de externa illa, ſiue gentilium, ſiue ſeditioſorum & male credentium Chriſtianorum cõcordia, quæ multa quidem eximia, ſed pereuntia commoda mortalibus profundere ſolet. Ea ſicuti Dei donũ exiſtimari debet, qui populis tranquillitatem & pacem ſolus largitur: ſic certè ſceleratis aliquoties & impijs hominibus donatur à benigno Domino, qui Solẽ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Sunt enim (teſte Auguſtino) alia dona hæredum, vt quæ Abraham dedit Iſaac: alia exhæredatorum, vt quæ filijs dedit concubinarum. Quantì verò illa externa pax pendenda ſit, quantoſque & quàm amplos fructus ſecum ferat: calamitates & clades, quę ex bellis & ſeditionibus conſequi ſolent, luculenter declarant.

Vide Auguſt. c. 11. lib. 19. de Ciuit. De pacis commodis

Matth. 5.

Lib. de Patient. ca. 2.

Et ſi ea, quæ inter improbos aliquando & flagitioſos excolitur, concordia, tantorũ beneficiorũ procuratrix exiſtat, vt nihil commodè in vlla aut Ciuitate,

A minori. aut Republica, ſine illa adminiſtrari poſſit: quid eſt de illa diuina populi Dei cōſenſione & concinnitate ſentiendum? E qua non modò caduca ſeculi huius cōmoda, ſed æterna, & cæleſtia bona conſequuntur. Igitur, vt ſeculi pacem, ab ea quæ in Eccleſia Dei inter Chriſti cultores viget, diſtinguamus: pauca hęc breuiter, quibus vtraq; pax aptè dignoſcatur, interponere voluimus. Habent quidem ij, qui vel per incredulitatem, vel per errores, & obſtinationē, à Chriſto abalienantur, ſuā quandam concordiā, ſed externam: habet & Sponſa Chriſti ſuam, quæ non ſolùm externa, ſed interna eſt.

Antitheſis pacis mundanæ & Eccleſiaſticæ & quòd hæc illam multis gradibus antecellit.

Igitur quæ apud incredulos Paganos, vel hæreticos & male credentes eſt pax, carnalis eſt: at quæ apud Fideles, & Orthodoxos manet, ſpiritualis eſt. Illa, tēporalia & fluxa huius ſeculi cōmoda ſuppeditat: hæc & pręſentia, & futura bona ſubminiſtrat. Illa, inter improbos aliquādo: hęc inter pios ſolū fouetur. Illa, quibuſdā externis rationibus cōparatur: hęc interno Numinis afflatu efficitur. Illa hominū ſæpe ſolertia, & prudētia: hęc Dei nutu & voluntate ſemper conſtabilitur. Illa, externā hominū cōſociationē: hęc & internā cōciliat. Illa trāquilla reddit corpora: hæc mentes efficit ſerenas, atq; ab

omni turbido affectu purgatas. Illa, homines hominibus & ad orationis, & ad vitæ societatẽ cõciliat: hæc inter Deũ & hoiẽs mirificã & admirandã vnitatẽ cõglutinat, ipsosq; homines in vnum Christi corpus pariter compingit. Illa persuasorijs humanæ sapientię verbis sępe: hęc solo Dei verbo semper & inducitur, & confirmatur. Illa, frequenter etiam illis conceditur, qui à Deo sunt alieni, & vel propter obstinationem, vel propter hæreseôn & errorum pertinaciam, vel propter cordis cæcitatem reprobi sunt: hæc solis pijs, & obseruãtissimis Dei filijs cęlitus donatur. Illa nunquã adeo est perfecta, quin pluribus dissidijs, & contẽtionibus tã priuatim, quàm publicè turbetur: hæc aũt tam est concinna & vndiq; cõposita, vt nullã discordię labẽ admittere, nullo simultatis & perturbationis maleficio maculari possit. Illa foris sæpe adest cõpluribus, qui intus maximis & turbulẽtissimis animi, & consciẽtię carnificinis torquentur hęc quibuscunque pręstatur, ijsdem & mentẽ tranquillam, & conscientias corã Deo sedatas reddit: adeo vt cum Apostolo dicere possint: Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per D.N. Iesum Christum. Rom.5.

Ergo cùm Ecclesię Christi pax tantopere pręcellat, & præfulgeat seculi huius, quæ videtur, paci, tantoque splendidior sit, quantò maiora beneficia suppeditet: profectò efficitur, hanc populi Dei concordem consensioné, admirabilé & planè diuinam quandam rem esse. Talis est enim, vt externa pax, quæ maxima inter mortales, & amplissima iure habetur, illi postponi debeat. Nam si res sic tulerit, omnes antè huius mundi ærumnas, ac afflictiones tolerare æquum est, quàm vt nos ab hac Ecclesię concordi & consentiente vnanimitate, ad aliquem discordem, & discrepantem sensum, abduci sinamus.

Omnia toleranda esse pro Ecclesiasticæ pacis vnitate.

Meritò proinde Apostolus Dei Fideles obtestatur, vt hanc inter se pacem & cósensionem teneant: obsecro, inquiens, vos Fratres, per nomen D. N. Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata: sitis autem perfecti in eadem mente, & in eadem sententia. Itemque altero loco, maxima quadam verborum & sententiarum grauitate, eandem rem suadet, scribens: Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas Spiritus, si quæ viscera miserationis, implete gau-

1. Cor. 1.

Philip. 2.

dium

dium meum, vt idem sapiatis, eandē charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes. Maximis quidem & amplissimis adhortationū stimulis, ad hāc in religione & fide conspirationem atq; concordiam, fideles excitat & impellit Apostolus. Quumque suum gaudium in eo completum esse prædicat, quod fideles id ipsum vnanimiter sentiāt: simul ostēdit, acerrimum sibi dolorem ex ipsorū dissidijs & contentionibus nasci.

Cæterùm quoniam hæc fidelium inter se consensio non potest nisi ex gratuito Dei dono prouenire, idcirco ad Romanos scribens, precatur, vt Deus illis tantam gratiam largiri dignetur: Deus, inquit, patientiæ, & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundùm Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem D. nostri Iesu Christi. Et rectè quidē precatur Apostolus, vt Deus hoc illis donū impertiat. Nam aliter mortales hanc cęlestem, de qua dissserimus, concordiam & vnitatē adipisci nequeūt. Vnde enim totius orbis, & vniuersorum mortalium mētes, in vnā Fidem, & vnā de Religione sententiā adduci potuerūt, nisi à Deo qui facit habitare vnius moris in domo?

Rom. 15.

Pax & vnitas est Dei donum.

Psalm. 67.

Qua

Qua vi effici potuerit, vt tot Regna & Monarchiæ, tanti populi, tam variȩ Nationes, tam diuturno tempore, in vna doctrina, & vnius Religionis cóprobatione continerentur, & permanerent, nisi Diuina?

Est igitur hoc Dei proprium munus, sui gregis & electi populi vnitatem & constituere, & conseruare. Sic enim pollicitus est per fideles suos Prophetas.

Ezech. 11. Pax & vnitas promissa à Deo.

Dabo, inquit, eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum. Rectè quidem à Spiritu Sancto per Ezechielem promissum est hoc diuinum & cœleste Dei donum ijsce hominibus, quibus Dominus cor saxeum abstulerit, & spiritum nouum impertierit. Nisi enim Diuina gratia mentium humanarum durities permollita fuerit, nisi lapideum cor in carneum conuertatur, nisi Spiritum Sanctum Dominus in intima pectoris penetralia effundat: nunquàm efficietur, vt tantarum credentis populi turbarum, cor sit

ſit vnum. A Domino itaque Deo hoc diuinum beneficium ſuis filijs donatur, vt admiranda quadam colligatione, in vnum corpus coaleſcant.

Idem fore in nouo populo, prædixit Hieremias, dicens: Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, & dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuerſis diebus, & bene ſit eis, & filijs eorum poſt eos. Et feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me. Hier. 32.

Hæc autem magnifica Dei promiſſa, iam olim populo credenti & Chriſtiano, per Filium Dei pręſtita ſunt, hodiernoque die in filijs adoptionis adimplentur. Nam quicunque in Chriſto ſunt baptizati, Chriſtum induerunt. Non eſt Iudæus, neque Græcus: non eſt ſeruus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim nos vnum ſumus in Chriſto Ieſu. Tanta ergo & tam ampla Dei dona per Chriſtum Ieſum in populum Chriſtianum effunduntur. Qui & antequàm in cælum aſcenderet, hanc pacem ſuis commendauit & tradidit:

Pax & vnitas præſtita à Deo per Chriſtum.

Gal. 3

Pacem

Pacem, inquiens, relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quod Optatus expo-
Optat.li.1. nens, hanc rem, ait, Dei esse constat, cum dicit, meam: cum autem dicit, do vobis, non solùm suam voluit esse, sed & vniuersorum in se credentium. Quæ pax si vt data erat, sic integra inuiolataq; mansisset, nec ab authoribus Schismatis turbaretur: inter nos & fratres nostros hodie nulla esset dissensio.

Is est enim huius admirandæ pacis & vnitatis author, & Conciliator, qui, vt
Iohan.11. Euangelista scribit, moriturus erat non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ipse, sicut Apostolus docet, est pax no-
Ephes.2. stra, qui fecit vtraque vnum. Iudęos etenim & gentes in vnum corpus Ecclesiæ compaginauit, sicuti lõgè antè per Prophetam promiserat: Faciam (inquiens) eos in gentem vnam in terra, in montibus Israel, & Rex vnus erit, omnibus im
Ezech. 37. perans, & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. Nam in Christo iam omnes coagulãtur in vnum. Is est enim medium parietem maceriæ solués, inimicitias in carne sua,
Ephes. 2. legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vno no-

uo homine, faciens pacem, vt recõciliet ambos in vno corpore Deó per Crucẽ, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem ijs, qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo, in vno spiritu ad Patrem.

Quantis & quàm diuinis elogijs prędicat Apostolus exuberantẽ hanc Christi gratiam, qua ille vniuersos in vnam cælestis ædificij compagem coagmentauit? Ipse, inquit, est pax nostra, quia ipse Patrem placauit, nos suo sanguine à peccatis abluit, semetipsum pro nobis victimam obtulit, veterem hominẽ Cruci affixit, vt destruatur corpus peccati, nouum hominem per regenerationem & renouationem Spiritus sancti in Baptismo contulit, os de ossibus, & carnẽ de carne ipsius per cælestem alimoniam, & mysticum Eucharistiæ cibum, nos effecit: tot, tantis, & pluribus etiam suis diuinis beneficijs, pax nostra constitutus est, Saluator noster Christus, qui fecit vtraque vnum.

1. Iohan. 2. Apocal. 1. Ephes. 5. Rom. 6. Tit. 3. Ephes. 5.

Nam antea diuisi erant Gentiles à populo Dei: nunc autem per fidem Christi in vnam Ecclesiam vtrique colliguntur. Iustitia enim Dei per fidem Iesu Christi, in om-

Rom. 3.

in omnes, & super omnes, qui credũt in eũ. Nõ est enim distinctio Iudæi, & Greci. Nam idem Deus omniũ, diues in omnes, qui inuocát eum. Omnis enim, quicunq; inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. An Iudæorum Deus tátùm, inquit Apostolus? An non gentiũ? Certè & gentiũ. Quoniá quidẽ vnus est Deus, qui iustificat Circumcisionẽ ex fide, & Preputiũ per fidem. Ipse quoq; mediũ macerie parietem soluit, id est, vel Legẽ Mosaicã abrogauit, qua inter se separabantur circumcisi & præputiati (atq; ideo quidem legẽ abrogauit, quia quod precepit, impleuit, quod promisit, præstitit) vel etiá peccatũ, quod diuidit inter nos & Deũ, sustulit, & inimicitiam, quæ inter Deum & humanum Genus propter hominum scelera intercesserat, penitus extinxit in carne sua, in qua peccata nostra pertulit super lignum, & in qua, qui peccatum nõ fecit, eũ pro nobis peccatum fecit, id est, semet hostiam Deo acceptam pro peccato fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso: legem mandatorum decretis euacuans, vt iam amplius non simus sub lege, sed sub gratia, vt duos condat in semetipso. En quò vnitatem istam reduxit! Nempe ad semetipsum.

Rom. 10.
Ioel. 2.
Rom. 3.
1. Petri, 2.
2. Cor. 5.

Siue

Siue igitur Iudæi,ſiue Gentiles: vtrique in Chriſtum per fidem coagmentantur, fiuntque corporis ipſius membra in vnum nouum hominem : quia ſi quis in Chriſto eſt,noua creatura eſt. Falſo itaque gloriantur , ſe in Chriſto eſſe , qui veterem hominem non exuerunt. Faciens pacem , & eam quidem admirabilem , vt omnium credentium populorum turbæ tanquàm vnius corporis membra arctiſsimam in ſe colligationem habeant, & reconciliet ambos,tam circumciſos , quàm incircumciſos , in vno corpore: id eſt,iam inſitos & complantatos ſuo corpori, atque vnum cum eo corpus effectos , Deo per Crucem, ad quam affixit chirographum , quod erat contrarium nobis, & in qua ſeſe pretium & propitiationé pro vniuerſo mundo in ſanguine ſuo Deo Patri obtulit, inimicitiam , quæ inter hominem & Deum inciderat , in ſemetipſo perimens.

Nam quum ipſemet ſimul & perfectus Deus , & perfectus homo exiſtat: quomodo non illud diſsidium, quod fuit inter Deum & hominem , deleuit? Quomodo non arctiſsimam quandam Dei & hominis amicitiam coniunxit?

Adeo

Adeo enim Deus homini reconciliatur in ipſo, vt Deus Homo dignatus ſit fieri. Nam Chriſtus idem Deus, idem & homo eſt. In ipſo itaque perfectiſsima eſt Dei & hominis conciliatio. Chriſtus
Ephes.5. vnum eſt cum Patre: Eccleſia & Sponſa Chriſti efficitur vna caro cum Chriſto. Ergo in ipſo omnis inimicitia non ſolùm ſopita eſt, ſed penitus extincta, & abſolutiſsima conciliatio exhibita omnibus ſuæ Sponſæ filijs, id eſt, vniuerſis rectè credentibus. Et veniẽs euãgelizauit pacem vobis qui longè fuiſtis, & ijs qui propè, id eſt, vniuerſis omnino.
Hebr.2. Pro omnibus enim guſtauit mortẽ, omnes ad ſe blandè & comiter inuitat: Venite, inquiẽs, ad me omnes. Omnes vult
Matth.11. 1.Timot.2 ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Omnibus itaq; Euãgelium pacis prædicatur, ſed credentes tantùm & Fideles illius diuinæ pacis beneficio potiuntur.

Ex ijs, vt opinor, abundè clarum efficitur, Chriſtum Ieſum ideo & carnem
Iohan.11. ſuſcepiſſe, & mortem fuiſſe perpeſſum, vt ſuos in vnum colligeret, vt fidei ſecta-

tore

tores indissolubili charitatis vinculo copularet, vt omnium credentium populorum turbas in vnam fidem & vnam societatem aggregaret.

Forsitan hîc quispiam percontabitur, quid Patri & Spiritui sancto attribuendũ? An & illi in hoc Mysterio simul cũ Saluatore cooperentur? Maximè quidem. Nam eadem sunt Patris, & Filij, & Spiritus sancti in externis omnibus opera. Et quæ Christus agit, eadem agit Pater, eadem agit & sanctus Spiritus. Christus enim ideo in mundum venit, vt voluntatem Patris faceret. Paterno itaque consilio definitum fuerat, vt Christus inter suos hanc vnitatem & pacem conglutinaret. Quodque à Patre in hunc finem sit Filius destinatus, ipsæ nos Sacræ literæ docent. Sic enim, inquit Saluator, Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret pro mundo, vt omnis qui credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitam ęternã. Illam vitã nemo consequetur, qui ab vnitate & pace Christi alienus perseuerabit.

Deus Pater est author huius vnitatis.

Iohan. 3.

Ergo quò hac pace perfrueremur, Christus à Patre est missus, nobis benedicens, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua, sicut illius Apostolus Petrus docuit. Tantum autem beneficium donauit nobis Deus Pater, filium suum mit-

Actor. 3.

tens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Itaque cum Apoſtolo verè nobis dicere licet: Quòd Deus Pater, qui proprio Filio ſuo non perpecit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, omnia ſimul cum illo nobis donauit. Paterna itaq; erat voluntas, vt Deus eſſet in Chriſto, & mundum reconciliaret ſibi.

Rom.8.

2.Cor.5.

Spiritus autem ſanctus ſuo ſacro afflatu hanc inter Fideles vnitatem ac pacem pręcipuè cõciliat, eádemq́; fouet, prouehit, ac ne vſquã rũpatur, procurat. Ab hoc Spiritu, ſicut Propheta prędixit, Chriſt⁹ ad euãgelizandum eſt miſſus. Sic enim loquitur in perſona Chriſti: Spiritus Domini ſuper me, propterea quòd vnxit me: euangeliſare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſsionem, & cæcis viſum, dimitere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

Spiritus ſanctus huius vnitatis conciliator.

Eſai.61.

Luc.4.

Atque hæc quidem ideo diſſerui, vt intelligeremus, quanta ſit Eccleſiaſticę concordiæ & vnitatis Maieſtas, quam per Filium Dei ſacroſancta & adoranda Trinitas conſtabiliuit. Hanc Chriſtus à Patre ſummo expetiuit deſiderio, ſic orans:

Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnũ, sicut & nos. Paulò pòst ait: Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti, &c. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, &c. Hæc, inquam, idcirco prolixius prosequutus sum, vt palàm fieret, quantî pendenda sit populi Dei concors & vnanimis consociatio, quamque grauiter illi offendunt, qui eandem scissuris, factionibus, & Sathanicis artibus proscindere & dilacerare non pertimescunt. Cæterùm pòst erit de immani illorum sacrilegio disserendũ: hoc autem loco persoluendum id est, quod antè sumus polliciti, nempe vt ostẽdamus, quibus vinculis Dominus hanc suorum vnitaté cõstrinxerit. Atque etiamsi ex his, quæ diximus, firmissimus & fidelissimus huius vnitatis Author Dei Filius esse cognoscatur, & cęlestis Pater, atque Spiritus sanctus: tamẽ particulatim erit explicãdũ, quibus quasi neruis eadẽ vnitas constricta sit: vt cùm perspiciamus, quibus rationibus Ecclesię vnitas constituta sit & corroborata: cõtrarias rationes deuitemus, quibus eadẽ vnitas dissipatur & dissoluitur.

Ioan. 17. Oratio Christi ad Patrẽ pro hac vnitate conseruanda.

De vinculis & neruis Ecclesiasticæ vnitatis.

Ac primo quidem loco nobis occurrit illa Pauli Apostoli similitudo, corporis scilicet humani, & membrorum ipsius, qua hanc totius populi Dei colligationem adumbrat. Ab eadem itaque similitudine exordium nobis capiédum est. Membra, inquit Apostolus, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt. Quærenti autem, quare multa eiusdem corporis membra vnum sint corpus, responderi posit: quòd omnia eiusdem corporis membra eodem humore radicali consistunt, & nutriuntur, eodem calore naturali tepescunt & fouentur, atque eodem vitali spiritu vegetantur. Vel etiam, vt breuius & apertius dicamus, quòd vna atque eâdem anima singulę eiusdem corporis partes viuificentur. Hęc autem, quæ de membris humani corporis diximus, iam referéda sunt ad membra corporis Christi Mystici, vt intelligamus, quo modo fit, vt multa & illic quoque membra vnum sint corpus, quia eodem succo radicali, eodem calore naturali, & eodem vitali spiritu consolidentur & crescant: vel etiam vno Christi spiritu, tanquàm quadam rationali anima, viuificentur & vigeant.

Rom.12 1.Cor. 12.

Similitudo mébrorum corporis & eorũ vnitatis.

Id autem vt clarius intueri posimus, intelligendum est, quòd, sicut singuli, qui in húc orbem naturali propagatione producun-

De vnitate membrorum corporis mystici.

ducũtur, anima non solùm vegetatiua aut sensitiua, sed & rationali in ipso suo ortu sunt potiti, cuius beneficio vniuersæ totius corporis & singularum partium facultates dispensantur, cuius vi & radicalis humor, & naturalis calor, & vitalis spiritus per singulos totius corporis artus peruehuntur, & ad extimas cuiusq; membri partes pertingunt, cuius vnius vigore ac virtute reliqua omnia summa quadam consensione continentur: sic certè & per regenerationem siue secũdam natiuitatẽ, quæ de supernis est, quicunque in Christo regeniti sunt & baptisati, Spiritum sanctum è cælis assequuntur, qui & illos tanquàm vera Christi membra viuificet, & fidem in cuiusque pectore, tanquam vitę & pietatis radicem (sine qua nihil quicquàm excrescere potest, quod Deo sit acceptum & gratum) inserit (sine fide enim impossibile est placere Deo) & charitatem, tanquàm calorem, per omnes renatos transfundit, (charitas enim Dei, inquit Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis) & singulorum mentes peragrans, viuida & cælesti quadam alacritate, tanquam vitali quodã spiritu in sanctificatione & vera innocentia vegetos reddit & robustos, ita vt in vitæ nouitate magis ac magis proficiàt.

Quod anima rationalis in corpore humano, hoc spiritus Sãctus in corpore mystico.

Fides & charitas in membris mystici corporis per Spiritũ sanctum.

Hebr. 11.

Rom. 5.

Ad hanc ſimilitudinem hominis naturalis & regeniti alludit Apoſtolus, quando
1.Cor.15. ait: Qualis terrenus, tales & terreni: qualis autem cæleſtis, tales & cæleſtes. Ergo ſicut natura in primo partu, ſic gratia in ſecundo operatur. Et quemadmo-
1.Cor.12. dum per mentis & rationis præfecturam, vniuerſæ, tam corporis, quàm animi partes ad vnitatem rediguntur, ita vt ex vniuerſis vnus homo confletur. ſic itidem per Spiritum ſanctum (cuius, qui in Chriſti Lauacro tincti ſunt, participes ſunt) omnes, quicunq; ſunt in orbe Fideles, in vnũ corpus coagmētantur. Id quod ipſe Apoſtolus clarè & dilucidè expreſsit, dicens: In vno Spiritu omnes in vnũ Baptiſati ſumus. Et quemadmodũ in mēbris humani corporis anima efficaciter agit, iuxta cuiuſq; mēbri capacitatem ac vigorem: ſic & in myſtici corporis membris Spiritus ſanctus operatur, ſecundùm quod vnũquodq; valet recipere. Nam & Dominus in diſtributione talentorum ait, vnicuiq; fuiſſe diſpartitum
Matth.25. ſecũdùm propriã virtutē: & Paulus docet omnes ſapere ſecũdùm ſobrietatem, vni-
Rom.12. cuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.

Sicuti enim ex radicali humore, & magnitudo, ac moles, & vires etiam corporis conſequenter creſcunt, vt ſint vel maiores & validiores, vel infirmiores & exi-

guæ

guæ: ſic ex fidei dono in vniuſcuiuſque Chriſtiani hominis mente inſito, tanquam è virtutũ & pietatis radice, reliqua queq; ſanctificationis & iuſtitiæ augmenta proportione quadam vel vberius & fœcundius, vel aridius & parcius effloreſcũt. Spiritus itaq; Chriſti per oẽs omnino fideles & renatos tranans, eorũ animos in vnã arctiſsimã colligationẽ conſtringit, idq; efficit, vt oẽs Chriſtiani in vnũ nouũ hominẽ in Chriſto Ieſu coaleſcãt & coagmentẽtur. Ac propterea rectiſsimè colligim⁹, Spiritũ Dei firmiſsimũ eſſe nodũ, quo vnitas corporis Chriſti & cõtinetur, & colligatur, ne in ſectas & factiones vſquã dilabi poſsit.

Iam vero proximũ huius vnitatis vinculũ eſt ratio Capitis, qua Chriſtus Ieſus totius ſui corporis, tã beata immortalitate perfruẽtis & triũphantis, quàm adhuc militãtis, & cũ Diabolo, peccato & carnis infirmitate bellũ gerẽtis, Caput eſt. Et quẽadmodũ capitis ductu & imperio vniuerſe corporis partes regũtur, capitis etiã munere & officio ad ſingula queq; mẽbra per venulas à reticulo cerebri in quaſq; totius corporis iuncturas pertingẽtes, nutrimẽta tranſmittũtur, ſic vt pro mẽſura vniuſcuiuſq; mẽbri vnicuiq; alimonia diſpertiatur ita quoq; in Eccleſia, & in corpore Chriſti è Chriſto capite gratia defluit ad ſpiritualẽ

Ratio Capitis in Chriſto, eſt ſecundum vinculum Eccleſiaſticæ vnitatis

 ſingu-

ſingulorum Eccleſiæ membrorum gubernationem & ſocietatē, mò exuberat in cuiuſque membri nutritionem, adeo vt omnes, qui ex eodem Capite cæleſti & immortali gratię redundantia vegetantur, in vnitate perfectiſsima eiuſdem corporis myſtici colligentur.

Id Apoſtolus Paulus nos perſpicuè docet, hæc ſcribens: Creſcamus, inquit, in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Quæ quidem Apoſtoli verba diligenter conſideranda ſunt. Dicit enim, ipſum myſticum corpus ſic in Chriſtọ Capite compingi & coagmentari, vt per operationem & vim intus agentem per omnes commiſſuras & mutuos artuum contactus, ſubminiſtratio vnicuique membro ſuppeditetur, & inſeruiat pro menſura & & modulo ſuo, ſic vt totum corpus creſcat, & incrementum capiat ad ędificationem ſui per Charitatem: per quam niſi ſingula membra cum toto corpore cohęreāt, & diuerſarum functionum quaſi concordi vinculo & nexu inter ſe coniungantur, cōmunis quidē nutrimenti capacia exiſtere non poſſunt.

Epheſ. 4.

Neq;

Neque verò otioſum eſt, quod dicit, ipſum corpus ædificationem ſui facere. Nam in ſe ex mutuis, quæ intus agunt & operantur, functionum diuerſitatibus, tam totius, quàm ſingularum partium incrementum conueniens aſſequitur. Integrum autem conſtat corpus, ex ipſo Capite Chriſto, & ſingulis ipſius fidelibus membris. Sicut ergo in naturali corpore vitalis facultas ex ſuo fonte in ſubiectos artus ſeſe inſinuans, & ſingulis, vt varijs ſunt iuncturis commiſsi, pro ipſorum modulo nutrimenti portionem diſpartiens ac vegetans, efficit, vt ſingulis membris accreſcentibus totum corpus ad iuſtā tandem ſuæ molis & magnitudinis menſurā euadat & excreſcat: ita & Chriſtus Eccleſiæ Caput, ſingulis membris vim ſuam diuinam inſtillans, & per multiplices variarum functionum iuncturas tantum alimenti ſuppeditans, quanto opus eſt tùm ad vniuſcuiuſque membri vegetationem, tùm ad quotidianum incrementum, vel etiam quantum quodque membrum capere poſſe perſpicit, Eccleſiam totam decenter auget, & amplificat ipſorum eiuſdē membrorum mutua opera, ita vt ipſis inter ſe membris vigeſcentibus, totum Eccleſiæ corpus ad iuſtam ſuì magnitudinem peruehatur.

Igitur

Igitur & à Chriſto Capite alterum indiſſolubile Eccleſiaſticæ vnitatis vinculum connexum eſt. Deus enim Pater, qui eſt Deus pacis, & nõ diſſenſionis, quiq; tãquã Agricola ſedulus hanc ſuã vitem ſerit, paſtinat, purgat, & vna firma radice figit, illius vnitatem mirificè defendit, & tuetur in multiplici diuerſarũ functionũ, tanquàm frondium, varietate. Is vt vnũ eſſet Eccleſiæ ædificiũ, vnum illius poſuit & iecit fundamentum. Fundamentum enim aliud nemo ponere poteſt, prçter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Vt vnũ eſſet corpus, vno ſpiritu vniuerſa eiuſdem mẽbra viuificauit, & vnũ eidẽ Caput conſtituit: atq; vt vna eſſet Dei Domus, vnum illi Patremfamiliàs prçeſſe voluit. Is quoq ſic vniuerſa membra fabricatus eſt, & collocauit, vt nec inuicem diſcrepẽt & diſſentiant, nec capitis ductum & imperium ſequi recuſent, ſed & pro ſe mutuò ſolicita ſint membra, & quodque eorum alterius commodo & ſaluti libentiſsimè inſeruiat, adeo vt inferius & abiectius membrum ſuperiori ac prçſtantiori non inuideat, nec quç ſunt eminentiora corporis membra, partes imbecilliores & infirmiores faſtidiant.

1.Cor.14.

1.Cor.3.

Concordia membrorum & inter ſe, & cũ vno capite

Eadẽ Eccleſiæ Chriſti mẽbris & partibus concinnitas ineſſe debet, vt omnia inter

ter se, quasi quodã lepôre, cõsentiant. Sunt enim pro diuersis functionibus Ecclesiasticis varia & diuersa constituta Ecclesiæ mẽbra. Alij enim, instar oculorum, prospiciũt, ne quid incommodi aut integro corpori, aut alicui illius parti inferatur: alij, tanquàm aures, auscultant & arripiũt salutaria sãlutis ęternę monita: alij, tanquã loquaces linguę, indoctiores perpetim instituunt, ac quæ sint salutaria, quę pestifera & perniciosa, tanquã pręgustãdo discernũt vt salutaria expetãtur, noxia declinentur: alij, tanquã humeri, sarcinis gerẽdis & labori tolerãdo sunt idonei: alij, tanquã manus, ad res gerendas & corpus tuendum sunt accõmodi. Atq;, vt ne singula persequar, nullũ certè est cuiusque mẽbri officiũ, quod desiderari possit, nullũ itẽ, quod ad totius corporis integritatẽ & incolumitatẽ non sit necessariũ, nullũ denique otiosum, nullũ inutile. Nam singula mẽbra aut ad vsum, aut ad ornatũ instituta sunt & cõdita: nec est vllũ totius corporis naturalis membrum, quin in corpore mystico delineari & effingi possit. Sic multa cùm sint mẽbra, apta tamẽ inter se cõspiratione cõueniũt, & vicissim alterũ alteri cedẽdo & obsequẽdo totius integritatẽ & concentũ retinent. Quę quidẽ illico dirũpitur, si aliquod mẽbrũ sua dote & officio nõ cõtentũ,

Fũctiones variæ mẽbrorũ corporis mystici.

In proximi membri ius & possessionem irrumperet, aut si superiori membro parêre nolit.

Ipsa itaque inter se membra admirabili consensione concordát, dum singula quod sui est muneris obeunt, & vniuersa capitis imperio obsequuntur & obediunt. Nam à Capite, quod vnà cum membris in eodem corpore coniungitur, ipsorum membrorum dispares functiones ad concordiá & vnitaté reuocantur. Hinc fit, vt Corpus Christi militans, si non suo Capiti similiter militanti indissolubiliter adhærescat, ingens & horrendum necesse est vt consequatur tùm corporis, tùm membrorum Schisma & dissidium. In eo enim est posita (vt planè & apertè loquar) totius Ecclesiæ incolumitas & salus, si vnus vniuersis, tanquam Capùt loco Christi, reliquis mébris præsideat. Ea namque vnius inter reliquos præfectura est arctissimum & vnicum vnitatis & concordiæ vinculum.

Vnde sit membrorum in corpore concordia.

In capite esse positam totius Ecclesiæ salutem.

Id quod ex alijs quoque tam externis & politicis, quàm Ecclesiasticis & internis procurationibus, & publicis administrationibus apertè liquidoq; constare potest. Ná ouiũ armenta, quę vno pastore reguntur, vnus grex: & eiusdé familię seruuli, qui sub vno Patrefamiliàs gubernantur, vna domus siue familia: & turmæ ac cohortes mili-

Vnitas in rebus ferè omnibus ex vno Capite nasci tur.

militum, quæ vno Imperatore ducantur, exercitus vnus: & plures ciues, sub eodē ciuitatis Præfecto, Ciuitas vna: & infinitę propè villę atq; vrbes, quę vnius Regis ditioni subijciũtur, Regnũ appellãtur vnũ. Similiter etiá quicunq; eodē Decano reguntur, Collegiũ vnũ: & qui vni Pastori siue Parocho subsunt, Parochia vna: & qui vnius Episcopi authoritate gubernantur, Diœcesis vna: & qui sub vno existunt Archiepiscopo, Prouincia vna rectissimè dicuntur & existimantur. At si diuersi sint pastores, aut familiarum patres, aut exercituum Duces, quorum nullus alteri obtemperet, sed parem singuli potestatem vēdicent: iam non vnus grex, nec vna domus, nec vnus dici poterit exercitus. Ergo ex eo, quòd vnus præficiatur & præsit, vnitas maximè conseruatur & existit.

In vniuersa itaque Ecclesia vt Ecclesiæ vnitas retineri possit, oportet vnum esse primarium & eminentissimum Præsulem, qui tanquam Caput membris reliquis omnibus imperet, & cuius voluntati cæteri omnes lubentissimè morem gerãt. Quod quidem eò faciliusfactu futurum erit, si is, qui in eminentissima Sede vniuersis dignitate præstat & officio, tantũ præcellat reliquis pietate, solicitudine, prudētia, eruditione, virtutibus, & scientia, quã-

Oportere esse Ecclesiæ vniuersæ vnum primariũ præsulem.

tum

tum eoſdem amplitudine & loco ſuperat. Facillimè enim inducuntur mortales ad obſequendum illi, quem & eximijs dotibus prælucêre, & plus ſapere ac intelligere, quàm ſemetipſos, arbitrantur.

Hoc quoque adijciendum eſt, quód is, qui hanc ſublimem & peramplam ſuper vniuerſos Præfecturam ſortitur, non alterius conditionis aut naturæ exiſtat, quàm illi ſunt, quibus præficitur: ſed eiſdem infirmitatibus obnoxius, eandem cum Carne, Mundo & Sathana pugnam ſuſtinens, vt ex ſuo ipſius experimento diſcat, aliorum imbecillitati condolere & compati. Tale autem etiam Eccleſiæ & Chriſti corporis Caput ipſe Apoſtolus apertè innuit ac oſtendit, quando ſcribit: Non poteſt caput pedibus dicere: Non eſtis mihi neceſſarij. Id quod certè de Chriſto Capite intelligere non poſſumus. Is enim tam pedibus, quàm lacertis, & brachijs, & reliquis vniuerſis membris dicere poteſt: Non eſtis mihi neceſſarij. Igitur illud eſt militantis Corporis militans Caput, quod (vt Apoſtolus ſcribit) pedibus non poteſt dicere: Non eſtis mihi neceſſarij.

Caput tale eſſe debere, quale & corpus.

1. Cor. 12.

Aliud debere eſſe Corporis myſtici Caput, præter Chriſtum.

Igitur vnus oportet vt vniuerſæ Eccleſię ſummus pręſit Epiſcopus, vnum vniuerſis pręemineat Caput. Mõſtroſum enim eſſet

Chriſti

Christi corpus Ecclesia, si aut Capite careret, & ἀκέφαλον esset, aut plura Capita aleret. Igitur cũ corpus illud vnũ sit: vt vnitas cõseruetur, vnũ illius Caput esse oportet, cui reliqua vniuersa totius Ecclesiæ mẽbra singula suo loco & ordine obsequantur & pareát. Hoc itaq; vnitatis vinculũ suę Spõsę Ecclesiæ Dominus dedit. Nã Apostolicum Sacerdotem reliquis omnibus eminentiorem constituit, quò, Capite cõstituto (sicut Beatus Hieronymus de Beato Petro inter duodecim vno electo scripsit) Schismatis tollatur occasio. Ecclesię enim salus in summi Sacerdotis dignitate pẽdet, cui si non exors quędam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficiuntur Schismata, quot Sacerdotes. Item alio loco: Quòd autem posteà vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est, ne vnusquisq; ad se trahens, Christi Ecclesiã rumperet. Et B. Martyr Ignatius: Principes obedite Cæsari, milites principibus, Diaconi Presbyteris Sacrorũ Pręfectis: Presbyteri, Diaconi & reliquus Clerus vnà cum omni populo & militibus, & Principibus, & Cæsare, Episcopo: Episcopus Christo, sicut Christus Patri: & ita vnitas per omnia seruatur. His igitur explanatis, sequitur, vt reliquos nexus & quasi nodos, quibus Deus hanc, de

Hieron. lib. 1 cont. Iouinian.

Hier. aduersus Lucifer.

Epist. ad Euagr.

Epistol. ad Philad.

de qua loquimur, populi sui vnitatem colligarit, persequamur. Nam cùm vnum totius corporis, & singulorum membrorum, spiritum esse constet, cuius afflatu omnes in concordiam adducuntur, qui eiusdem sunt participes: vnum item immortale & gloriosum Caput, quo tam qui Regno immortali potiuntur, quàm qui in terris militant, in vnam societatem connectuntur: vnum etiam in terris simul cum corpore Caput militans, cuius ductu, consilio & auspicijs quæque inferiora membra regũtur, cuius vi & authoritate immensa credentium populorum & sacerdotum multitudo continetur, atque in vnum corpus coalescunt: certè perspicuum cuique esse potest, quæ sit Apostoli, adhortantis, vt sollicitè seruemus vnitatem Spiritus in vinculo pacis, mens & sententia. Vnitas enim Spiritus in eo perspicitur, quòd omnes Fideles eodem Dono gratiæ illuminati, idipsum dicunt, idipsum sentiunt, & carnalibus cogitationibus abdicatis atque excussis, intellectum suum captiuent in obsequium Christi. Vinculum autem pacis intelligamus eam (quam in singulis mẽbris & vniuerso corpore Dominus quasi inscripserit) natiuam indolem & proprietatem, qua & singula suum locum tenent, suo officio defunguntur, & inferiora superio-

Ephes. 4.
Vnitas spiritus quæ.

2 Cor. 10.
Vinculum pacis in Capite, & coniunctione membrorũ

rioribus parent, ſuperiora autem pro inferioribus ſolicita ſunt, & vniuerſa pariter Capitis regimen & imperium ſubeunt. Ea, inquam, ſingulorum membrorũ conſtitutio, qua ſibi inuicẽ, & ſuo Capiti ſubiecta ſunt, ea etiã Capitis Hierarchia, qua vniuerſo corpori præficitur, vt ſingulas ipſius partes regat, ipſum eſt pacis vinculum, quo alligata & aſtricta membra ſimul cum corpore & capite, pace & tranquillitate fruuntur. Nam ſi vllum membrum eo tumore infletur, vt capitis imperium reijciat, ſuperioris membri officium ſibi vſurpet, ſuum negligat, in partes inferiores & proximas deſæuiat, illaſque aſpernetur: totius corporis pax & concinnitas confeſtim rumperetur & concideret.

Igitur vinculum pacis tam diu ſeruabitur, quàmdiu Caput totius corporis, & ſingulorum membrorum potitur imperio, & ipſa viciſsim membra ſeſe mutuo complexu fouẽt, ſuos ordines & functiones retinent, Capitiſque moderationi & præfecturę obſequũtur. Sic & in Chriſti Eccleſia, quàmdiu ouium Dominicarum greges vnius ſummi ſui Paſtoris vocem audiunt, doctrinę obtemperant: in vnum Chriſti ouile aggregantur. & quàmdiu vnius Epiſcopi & Paſtoris conſilio & authoritate ducuntur: vnitatem retinent, &

eodem quasi vinculo colligati, in vnum corpus coagulantur, ita vt verè id dici possit, quod est ab Apostolo dictum: Vnum corpus, vnus Spiritus. Vnū enim corpus est sub vno Capite, & eiusdem corporis vnus est spiritus, animans singulas eiusdem corporis partes.

Ephes. 4.

Neque verò leuis aut contemnendus est ille nexus, quem Apostolus proximis vocibus attingit: Sicut, inquit, vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Ergo quomodocunque varijs huius seculi fluctibus iactemur, aut turbulentis inuoluamur tempestatibus, semper nobis ob oculos versari debet illa beata spes, quæ nobis reposita est in cælis. Ita enim fiet, vt neminem contemnamus, nemini inuideamus, nullum odio prosequamur, sed omnes, tanquam eiusdem Regni cohæredes, amplexemur & amemus. Quid enim scelerato & impio homini infensus sis? Nam hic fortassis resipiscet, & se per pœnitentiam reuocabit ad superiorem gratiæ, quá Baptismo assequutus est, gradum. atque ita spe potietur reposita, & simul cū Christo regnabit. Non est itaque consentaneū, vt contra illum odio aut ira turgescas, quem Dominus tanta beatitudine & gloria coronaturus est. Rursum si quempiam abiectū, inopé, calamitosum videris, conté-

Vinculum 4. vnitatis, Spes.

Insignis locus & moralis.

nere

nere non debes. Nam & huic eadem ſpes propoſita eſt, & per pręſentes afflictiones ad futurã immortalitatẽ rectiſsimè peruenitur. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Sed & ipſa ſpes vocationis noſtræ iſtiuſmodi acerbis ærumnis excitata, ſolidior ac viuidior efficitur. Quò enim minus participamus præſentia commoda, & quò grauius premimur pręſentibus preſſuris, eò feruentius & ſolicitius futura ſolatia expetimus. Rectè proinde eſt ab Apoſtolo ſcriptum: Quod in præſenti eſt momentaneũ & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Act.14. 2.Cor.4.

Spes itaque futurę immortalitatis & beati Regni, quod Chriſtus omnibus ſuis præparauit & promiſit, animos fidelium inter ſe conciliat, ſi modò altius in eorum mentibus hæc ſpes infixa & impreſſa fuerit. Efficit enim, vt eos vniuerſos ingenti amore complectamur, quos vnà nobiſcum ad eandẽ immortalitatis & glorię futurę ſpem vocatos eſſe, intelligimus. Ergo quum idem ſit omnibus Regnum oblatum, cùm omnes ad eandem metam contendant, cùm vniuerſi idem brauium expectent, & ſperent: profectò conuenit,

vt ipſi ſe mutuo amore inuicem complectantur & foueant. At ſi quiſquam per incredulitatem eam ſpem non fore credat, aut per ignauiam ad palmam ſibi propoſitam non inſequatur: is quidem hoc tanto beneficio ſe indignum reddit, atque ab eorum contubernio, qui ſpe excitati alacriter pietatis curriculum ingrediuntur, præcîdit. Vna igitur vocationis noſtræ ſpe omnes in vnum aggregamur, quicunque propter eandem ſpem, tanquàm anchoram in cælis fixam, præſentia omnia paruipendimus, & aſpernamur, futura verò magnifacimus, ſectamur & inquirimus.

Heb. 6.

Si aũt quęris: Vnde in hanc ſpẽ prouehimur? Reſpõdetur, à benigno Domino, qui dedit ſemetipsũ pro peccatis noſtris, vt eripiat nos de pręſenti ſeculo nequam. Hic Dominus ſuis certam quandam teſſeram dedit, qua ab omnibus agnoſcerẽtur. In hoc, inquit, congnoſcent omnes, quòd mei Diſcipuli ſitis, ſi dilectionem habueritis adinuicem. Vnus ergo cùm hic ſit Dominus omnium noſtrûm, diues in omnes inuocantes ipſum, atque immenſam ſuam benignitatem in eos, qui fideliter illum colunt, effundat: conſequẽs certè eſt, vt quicunque ipſum ſuum Dominum agnoſcant, ipſi inter ſe arcta quadam

Gal. 1.

Iohan. 13.

Quintum vinculum. quòd vnus omnium ſit Dominus & Redemptor.

ſocietate & communione coniungantur. Quid? Annon eiuſdem Domini ſeruos, & eiuſdem familiæ ſocios, conuenit concordiam inter ſe colere, & pacem retinere? Atqui iam cùm vnus nobis ſit Dominus, iſque idem Redemptor & Saluator noſter: certè inſidere debet in animis noſtris, id quod eſt olim Epheſijs ſcriptum ab Apoſtolo: Iam non eſtis hoſpites & aduenę, ſed ciues Sanctorum & domeſtici Dei. Eſt itaque hæc populi Dei arcta colligatio, quòd omnes ſint eiuſdem cæleſtis Ciuitatis adſcripti municipes, quòd vniuerſi ſint eiuſdem domus & familiæ ſub eodem Domino contubernales. Non eſt enim vulgare illud amicitiæ vinculum, in eadem familia, ſub eodem merere Domino. Epheſ. 2.

Cæterùm quiddá etiá interius ad huius ſocietatis coalitionem Dominus adiecit, nẽpe eandem in omnibus fidem. Vnus (inquit Apoſtolus) Dominus, vna Fides. Fides infidelitatem, hæreſes, adulterina dogmata, & fœdá illam errorum illuuiẽ, qua Eccleſia miſerè ſolet diuexari, excludit. Atque vna illa Fides multiplices, & inter ſe pugnantes Sectariorum factiones, & doctrinas, cõtundit & elidit. Vna eſt eorum, qui hodie orthodoxè credunt, fides cum ijs, qui ante centenos & millenos annos Epheſ. 4. Sextum vinculum vnitatis Eccleſiæ, vna fides.

vixerũt, Patribus. Hæc vna fides, quæ nec temporum diuturnitate, nec populorum accesſione, aut decesſione, aliquam mutationẽ recipit, vniuerſos credẽtes populos mirificè inter ſe nectit & copulat. Nã ſicut vbi variæ ſunt de fide traditiones & doctrinæ, vbi alius hoc, alter illud, aut credit, aut non credit, aut ſtatuit, aut inficiatur, vbi pro inconſtanti quorundam libidine dogmata confinguntur, ibi certè neceſſariò efficiũtur factiones & ſchiſmata: eodem ſanè modo quando eadem Catholica Fides apud omnes obtinet, ab omnibus approbatur, ab omnibus creditur, ingens concordia exiſtit vniuerſorũ. & quoniam eadem eſt apud omnes ſententia, idem ſenſus: ſuapte quaſi ſponte in vnum confluunt, & vnitatem inter ſe cõplectuntur & colunt. Eſt igitur vna hæc, quam Apoſtolus prædicat, Eccleſię fides, Eccleſiaſticæ vnitatis firmum vinculum.

7. Vinculũ Eccleſiaſticæ vnitatis, vnum fidei Sacramentum, id eſt, Baptiſmus. Augu. Ser. 181 in Vig Pentec.

Atque ad vnam hanc fidẽ adiungẽdum eſt fidei Sacramentum, vnum ſcilicet Baptiſma, per quod homines Eccleſię & Chriſto incorporãtur. Vno itaq; illo lauacro à vitijs & ſordibus peccatorũ abluti, in Chriſti corpus inſeruntur, & ad populi Dei ſocietatẽ agglutinãtur. Quemadmodũ enim ſeculi milites, tẽporalia Beneficia à tẽporalibus Dominis accepturi, prius ſacramẽ

tis militaribus obligátur, & Dominis ſuis fidē ſe ſeruaturos profitētur: ſic, imò multò magis, æterno Regi militaturi, & ęterna prçmia percepturi, debēt ſacramentis cæleſtibus obligari, & fidē, per quam Deo placituri ſunt, publicè profiteri. Igitur per vnū Baptiſmū, tanquàm per quandam ianuam, homines in Eccleſiæ vnitatem intromittuntur. Quotquot enim Chriſtum in Baptiſmo induerunt, vnum in Chriſto ſunt effecti. Et quoniā vnum eſt Baptiſma: nec iterari & repeti poteſt, nec diuerſa & aliena Antichriſti admixtione & profanatione debet contaminari. Quorſum enim ſæpius repetatur, quod ſemel adminiſtratum, perfectam regenerationem præſtat? Aut quomodo adulterina ſpurcitie pollui poterit, quod vnum quidem eſt à Domino inſtitutum? adeo vt ſi vnum nō ſit, & vnitatē non retineat, Sacramēti quidē gratiā amittat. Vnus igitur eſt Baptiſmus, qui quidē & intus, & foris eſſe poteſt, & vnus eſſe vtrobique poteſt, quàmdiu ea verborū & adminiſtrādi forma, quā Chriſtus Catholicę Eccleſię tradidit, integra cōſeruatur & manet. Sed foris accipiētibus, ad ſalutē prodeſſe non poteſt. Intus itaq; vnū Baptiſma adminiſtratur ad plenā totius hoīs innouationē, & ex aqua ac Spiritu regenitos nouā in Chriſto creaturam

efficit, estque præcipuum quoddam vnitatis Ecclesiasticæ firmamentum. vtpote per cuius gratiam omnes baptizati, in mēbra Christi transformantur, & in vnum corpus coalescunt.

Octauum vinculum vnitatis Ecclesiæ sunt alia sacramenta.

Neque verò reliqua Sacramenta, quibus Ecclesia Catholica vtitur, aut otiosa sunt, aut inutiliter instituta. Nam & ipsa quoque tam externa sua participatione, quàm interna gratia, populi Dei societatē quasi firmo quodam nexu deuinciunt. Quod scitè admodum Augustinus de Eucharistiæ Sacramento ait: Huius Corporis id est, Ecclesiæ, Caput est Christus. Huius Corporis vnitas nostro Sacramento commendatur, quod breuiter significauit Apostolus, dicens: Vnus Panis, vnum Corpus multi sumus. Et generaliter de omnibus alio loco: In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorū visibilium consortio colligentur: imò per externam Sacramentorum perceptionem aliquando in Christi Corpore adhærescunt, qui peccatis læthalibus saucij, charitatis vinculum non retinent, & spiritus vnitatem non participant.

Ep. 57. ad Dardanū.

Cōt. Faust. Manich. li. 19. cap. 11.

Cæterùm de istis rebus fusius differēdi alius magis opportunus locus dabitur: nunc verò Apostolus postremo loco posuit

ſuit illud vinculum: nimirum quòd vnus ſit Deus & Pater omnium, à quo nos adoptamur in filios, & proinde fratres effecti ſumus. Hæc autem ſpiritualis cognatio à Deo ad nos defluens, atque vniuerſos cóplexans, firmo & indiſſolubili charitatis & beneuolentiæ nodo omnes illos conſtringit & copulat, qui ad eum honorem diuinitus ſunt prouecti, vt Filij Dei & appellentur, & ſint. Ac ſi cuipiam fortaſsis hoc loco longiores videri poſsimus, nimiſque verboſe hanc cauſam Vnitatis Eccleſiaſticæ perſequi: is magnitudinem rei & vtilitatem conſideret. Quòd ſi fecerit, non dubito, quin paulò breuior, quàm pro tantæ rei dignitate, hæc tota diſputatio videatur. Ex ijs autem, quæ diximus, ſatis (vt opinor) liquet, quanta ſit Eccleſiæ Chriſti Vnitatis ac conſenſionis dignitas & Maieſtas, quot etiam, & quanta eiuſdem colligationis ac conſociationis vincula & firmamenta Deus inſtituerit, vt Vnitas ſpiritus inter ſuos integra conſeruari poſsit. Iam autem ſequitur, vt ad ipſius Schiſmatis, quo tanquàm funeſta peſte Eccleſiæ Vnitas proſcinditur & diſſipatur, tractationem veniamus.

Nonũ vinculum Eccleſiaſticæ vnitatis.

Quid ipsum vocabulum significet, & quid ipsa Schismatis voce intelligendum sit: itemq́; quid sit Schisma, quatenus nos hoc loco de de eo agimus, & quomodo ab Hæresi & Apostasia distinguatur.

CAPVT II.

Schismatis Etimologia.

SChisma quidem vox Græca est, quę à verbo σχίζω, quod significat scindo, disseco, diuido, separo, secerno, &c. deriuatur. Rupturá verò, dissensionẽ & dissidium propriè & significanter exprimit, citra huius, vel illius, quod finditur & dissecatur, expressam intelligentiá. Vox itaque in genere competit cuique sectioni atque fissuræ rei cuiusque. Sed tamen nos ea voce, tanquam Theologica, vtpote vsitatissimè apud veteres & recentiores Sacrorũ Eloquiorũ Tractatores vsurpata, & ad exprimendá eá, qua Christi Spósa Ecclesia discerpitur & dilaceratur, discissionem adhibita, hoc nostro Tractatu sumus vsuri. Ne itaque lis de vocabulo intendatur, breuiter explanabimus, quid hac voce & veteres Theologi intellexerunt, & quid nos intelligi volumus. Facilius enim rerum difficultates explicantur, cum de vocum sensu & intelligentia constiterit.

Primò

Primò igitur hoc præmonitũ esse cõuenit, nos hîc vsuros isto vocabulo, quẽadmodum Patres, qui cõtra Schismatis Sacrilegiũ scribũt, sunt vsi. ita vt ad sola illã Theologicam intelligentiam, quæ apud sacros Scriptores in vsu est, nostra omnis accommodetur oratio: vt dum morbi & vlceris pestem aperimus, verę incolumitatis & salutis ratio iniri possit. Est ergo Schisma, non cuiusuis consociationis diruptio, sed solius Ecclesiasticæ. Nam vocem hanc vẽdicamus ab omni externa cuiusuis societatis ruptura, & ad illam diuisionem solùm, quæ in fideli populo Dei contingit, restringimus.

Quo sensu in hoc libro vocabulum Schismatis accipiatur.

Sed tamẽ nõ quęuis dissensio aut diuersitas populo Dei Schisma parit. Nã quòd alij pulla, alij alba veste tegantur, alij soleati sunt, alij nudipedes, alij cincti, alij discincti, non magis creat Schisma inter fideles. quàm inter eiusdem corporis membra, quòd manus Chirothecis, pedes calceis aut sandalijs, tibię ocreis, brachia manicis vestiantur. Hæc igitur, quæ extrinsecus adhibentur, possunt diuersa ratione vsurpari, absque vlla schismatica secessione.

Non quæuis rerum externarũ diuersitas Schisma est.

Multò verò magis, diuersę eiusdẽ Spiritus sancti dotes, in multitudine credentiũ populorum elucentes, tantum abest, vt Schis-

Distinctio donorum Spiritus nõ facit Schisma.

Schiſmatis cauſam generent, vt diuerſis & diſsimilibus eiuſdem Spiritus donis vnitatis pacem & integritatem ornent & augeant. Non enim, inquit Apoſtolus, omnia membra eundem habent actum, neque ſinguli fideles iiſdem Spiritus ſancti Chariſmatibus imbuti ſunt. Et tamen in illa donorum varietate Vnitas Spiritus conſeruatur, quàmdiu ſua ſorte ſinguli contenti, alienum locum aut munus non vſurpant. Ex his liquet, nec ex diuerſitate donorum aut functionum, nec ex varietate aut diſſimilitudine rerum tantùm externarum, Schiſma fieri ſolere. Sic & in vniuerſa Chriſti Eccleſia variæ & multum diuerſæ conſuetudines & Cærimoniæ inoleuerunt.

Variæ conſuetudines & cærimoniæ non efficiũt Schiſma.

Epiſt. 86.

Eſt enim Eccleſia Regina, in veſtitu deaurato, circundata varietate. Et tamẽ in hac obſeruationum & rituum diuerſitate, vnitas fidei & Religionis, ac doctrinæ concẽtus retinetur. Sit (ait Auguſtinus ad Caſulanum Presbyterum) vna fides vniuerſæ, quæ vbique dilatatur, Eccleſię tanquam intus in membris, etiamſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur. Omnis enim pulchritudo Filię Regis intrinſecus. Illæ autẽ obſeruationes, quę variè celebrãtur, in eius veſte intelliguntur. Vnde ibi dicitur:

tur: In fimbrijs aureis, circumamicta varietate.

Nō ergo rūpitur concordia piorū istiuſmodi varijs ac diuerſis Conſuetudinibus, niſi aliquorū contēptus & ſuperbia acceſſerit, qua ſua ſolùm tenenda, reliquorum omnia reijcienda, pertinaciter aſſeuerent. Sic & de iure ac ęquitate, de fundis & poſſeſsionibus, de finibus agri, de facultatibus, de contractibus & alijs huiuſmodi rebus, ſiue priuatis, ſiue publicis, poſſunt inter Fideles eſſe contentiones & lites: & tamen ſi is ſit diſceptationum earum ſcopus, vt æquitas excutiatur, abſque vllo Schiſmate exerceri poſſunt. Nam poſteaquàm ex vtriuſque partis contentione veritas eliquata fuerit, ſtatim compeſcitur contentio & lis ſedatur.

Diſsenſiones & lites pro rebus externis non faciūt Schiſma.

Similiter etiam & in Dogmatibus Religionis, nondum aut apertis Scripturis, aut Catholicæ Eccleſiæ ſententia & iudicio, definitis, Docti inter ſe (ſalua pace) decertare poſſunt: ſic tamen, vt neuter alteri præiudicet, quàmdiu cauſæ veritas non ſit dilucidè explanata, aut totius Eccleſiæ iudicio excuſſa. Nam ſicut in legitimis controuerſijs æquitas, ſic in iſtis Eccleſiaſticis diſputationibus veritas inueſtigatur. Qua ſemel inuenta, contentiones & lites ceſſare debent. Et tamen in illis,

Non omnis varietas opinionum in dogmatibus religionis facit Schiſma.

illis, quæ de rebus politicis habentur, disceptationibus etiamsi partes dissentientes in diuersas factiones & partes distrahantur & secedant, nõ excitatur schisma, si vnitas doctrinæ & fidei ab omnibus retineatur.

Scisma nõ est in factiniobus ciuium diuersis, si vna sit omnium fides

Atqui in istis, quę de rebus nondum ab Ecclesia definitis incidũt disceptationes, si pertinacia & fastus accesserit, ita vt secus sentientes damnentur, & priuatum cuiusque hominis iudicium animose & rigidè defensetur, reliquorũ verò dissentientiũ sententię insolenter & contumeliose contẽnantur: Schisma oriri possit. Ex quibus vt opinor, manifestũ est, Schisma esse dissidiũ vnius, vel pluriũ credẽtium (nam nisi credentiũ schisma esse nõ potest, sicut antè est dictũ) ab vnitate totius populi Christiani, vel in ijs rebus, quæ ad integritatem Corporis Christi pertinent, vel in alijs leuioribus, cum superbia & Ecclesiæ contemptu. Huius autem definitionis singulę iam explorentur & expendantur partes.

Descriptio perfecta schismata.

Schisma dicitur dissidiũ vnius, vel plurium, quia aliquando & ab vno Schisma excitatur, & sępe plures ad Schismatis funestã societatem secedunt: & tamen non cuiusuis hominis eruptio dicitur Schisma, sed credentis. Nam si fides & spes, quæ est in Christo, penitus abijciãtur: huiusmodi ruptura Apostasia potius, quã Schisma dici potest.

Apostasia.

ci poteſt. Qui enim integrá Chriſti fidẽ vnà cũ ſpe Regni cæleſtis abdicat, is non tam Schiſmaticus, quã Apoſtata appellari debet. Tum quoq; adijcitur: ab vnitate totius populi Dei. Si etenim illud diſsidiũ diſſentientes à reliquis Fidelibus non precìdat, non diciturSchiſma. Cum autẽ ab integritate corporis quędã mẽbra auellũtur, Schiſma cõſequitur. Atque vt intelligeres, quibus in rebus Schiſma naſci ſolet, adiungũtur hę particulæ: nempe, vel in ijs, quæ ad incolumitatẽ Eccleſię & corporis Chriſti pertinent, vel in alijs leuioribus, cũ Eccleſiæ contẽptu. Nã in Baptiſmo, in Euchariſtiæ adminiſtratione, in reliquis Sacramẽtis, in doctrina fidei, quę maiora ſunt, & ad integritatem Eccleſiæ ſpectant, diſſentire & diſcedere ab Eccleſia, ſuperbum contemptum ſecum affert, & Schiſma creat. Atque in his, quę vidẽtur minoris momenti, ſicuti eſt ieiuniorũ obſeruatio, precũ & aliarũ conſuetudinum ratio, ſic ab Eccleſia recedere, vt diuerſum quid ſequendum putes, idque reprobes & contemnas, quod eſt vſitatum in Eccleſia, ſeparationem parit, & Schiſma progignit.

Aut etiam, vt breuius & apertius Schiſmatis vim comprehendas, ſic ipſum Schiſma deſcribere potes & definire. vt Schiſma dicatur, voluntaria ab vnitate Eccle-

Breuior deſcriptio Schiſmatis

Ecclesiastica separatio, eorum, qui non in omnibus, sed quibusdam, ab Ecclesiæ iudicio dissentiunt, aut ab eius vnitate sese prçcîdunt. Nullum enim tam tetrum fuit Schisma vnquam, quin plurima eorum, quæ in Ecclesia obseruantur, approbaret. Et potest fieri etiam, vt ab eis, qui eadem de Religione sentiunt, schisma oriatur. Sicuti olim Chore, Dathan & Abiron nihil quidem de Religione diuersum docuerũt, eadem Sacrificia, eundem ritum colendi Deum, eandem tenebant Legem: & tamé nefandi Schismatis authores fuerũt, quòd officium sacerdotale sibi non permissum iniustè vsurpassent, & impiè inuasissent, contemptis & desertis his, quos Deus in summo authoritatis gradu collocasset. Ergo etiamsi eadem dogmata sequantur & doceant, Ordinem tamen & Hierarchiá Ecclesiæ violent, ijsque obedire detrectét, quibus parêre conuenit: separationis & Schismatis authores & esse possunt, & haberi debent.

Schismatici nõ in oĩbus dissentiunt ab Ecclesia, aliquãdo etiã in nullis.
Num.16.

Sed si superiores descriptiones Schismatis cuiquam minus arrideant, accipiat eam, quam D. Augustinus Schismati accõmodauit & affinxit, definitionem. Proinde, inquit, inter Schisma & hçresim magis eam definitionem approbo, qua dicitur Schisma esse recens congregationis ex aliqua

Cõt. Cresc. Gramat. lib.2. ca.7.

aliqua ſententiarum diuerſitate diſſenſio. Neq; enim ſciſsio vel ſchiſma fieri poteſt, niſi diuerſum aliquid ſequantur, qui faciunt: Hæreſis autem definiatur, Schiſma inueteratum. Hæc Auguſtinus. Et rectè quidem. Nam nec vllũ Schiſma naſcitur, niſi ex ſententiarum diuerſitate. Si enim omnes omnino in omnibus eaſdem ſentẽtias ſequerentur, fieri quidem non poteſt, vt in factiones & Schiſmata diſtrahantur. Atque etiam nullum eſt inueteratũ Schiſma, quin in hæreſim tandem ſua inflexibili pertinacia prorumpat. Poteſt quidẽ aliqua recens Hæreſis emergere & propagari, abſque inueterato Schiſmate: ſed inueteratum Schiſma abſque hæreſi exiſtere non poteſt.

Differentia inter ſchiſma & hæreſim.

Vnde naſcitur.

Inueteratũ ſchiſma in hæreſim vertitur.

Nam etiamſi prima ab Eccleſia ſeparatio aliquando fiat abſque veneno hæreſeos, ſicuti Chore, Dathã & Abiron, quos dixi idem ſenſiſſe de religione cum Aarone, eundem Deum ijſdem victimis coluiſſe, vel etiam Donatiſtarum, vel Nouatianorum, qui ideo ab Eccleſiæ contubernio primò ſecedebant, quòd cum Idololatris aut traditoribus cõmunicare verebantur: tamen ſi pertinaciter & obſtinatè ea ſeparatio perſiſtat, ſuperbiaque tandem depoſita ad vnitatẽ nõ redeat, fit etiam ex Schiſmate adulterina doctrina, & funeſta

D hære-

hæresis. Veluti si Chore instanter & rigidè Sacerdotium sibi arrogans, asseueraret, primum Sacerdotiū Aaroni non fuisse à Domino concreditum, aut nullum esse debere, aut Nouatianus, aut Donatista, id quod ab vtrisq; postea factú est, reconciliari Ecclesiæ recusent, quòd Ecclesia lapsos pœnitentes recipiendos, quòd ab Hęreticis baptizatos non rebaptizádos céseat, & quòd malos bonis permixtos, quàmdiu latitant, tolerandos esse suadeat (quorum alterum ille, alterum hic inficiabatur) iam quidem Schismatis inueterata obstinatione in hæresim lapsi sunt. Nam negare summum Aaronis Sacerdotium, aut lapsis & pœnitentibus reconciliationem concedendam, aut astruere, semel baptizatos rebaptizari debere, aut occultos malos bonis permixtos non esse fraterna charitate tolerandos, Hæreses sunt, & pertinaciter illa asseuerantes, Hæreticos faciunt. Est enim Hæresis dogma falsum, orthodoxæ fidei repugnans. Schisma verò est quorundam Christianorum ab vnitate Ecclesiæ separatio. Apostasia autem ab vtrisque discrepat in eo, quòd vtrumque quædam eorú, quæ in Ecclesia tenentur & traduntur, obseruat: Apostasia autem vniuersam pariter fidem & Ecclesiasticam administrationem ac vnitatem deserit. Hęresis enim & Schisma

Marginal notes: Num.16. — Hæresis. — Schisma. — Apostasia.

ma quædam, quæ rectæ ſunt fidei, retinēt: Apoſtaſia quidem nihil eorum ſeruat, ſed vniuerſam Religionem reijcit & aſpernatur.

Hæreſis itaque peruerſum dogma cum contumacia propugnat: Schiſma autem vnitatem Eccleſiæ ſcindit & lacerat: Apoſtaſia rectam fidem & Religionem penitus abdicat & reſpuit. Hæreticus itaque eſt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ Principatuſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur, tanta cum pertinacia, vt nec vniuerſæ Eccleſiæ cedat. Schiſmaticus is eſt, qui fraterno odio impulſus, Eccleſiæ pacem rumpit & turbat, tanta cum malitia, vt quod in Eccleſia adminiſtratur, condemnet. Apoſtata verò dici debet, qui omnem omnino fidei & Religionis Chriſtianæ formam & rationem, quá ſemel amplexus fuerat, faſtidit & repudiat, tanta cum cęcitate & ſtupore, vt in quæuis potius errorum præcipitia & profunda demergatur, quàm ſanam Religionem admittat, eóque, vnde deiectus fuerat, ſeſe recipiat. Cùm igitur ex his, vt arbitror, ſatis clarè demonſtratum ſit, quid ſit Schiſma, quid Hæreſis, quid Apoſtaſia: ſequitur, vt ad reliquas huius inſtituti operis partes progrediamur.

Deſcriptio Hæretici.

Auguſt. de vtil. cred. lib. 1. cap. 1.

Schiſmaticus quis.

Apoſtata quis.

Quàm sit tetrum & nefarium Schismatis sacrilegium.

CAPVT. III.

VEreor autem, ne tibi, Christiane Lector, hæc nostra de horrendo & indigno Schismatis scelere oratio, aut nimis aspera, aut minus iucunda & suauis videri posit. Sed tamen cum limatur in disputando veritas, nihil quidẽ nec celare, nec dissimulare conuenit. Morbi etiam vis ipsa aperienda est, & vlceris sa niosa & sordida putredo retegẽda, quò maturior & salubrior medicina tempestiuè & commodè adhiberi posit. Non est autem aut contẽnenda, aut dissimulanda illa pestis, quæ hominem à Christi corpore præscindit, diaboli laqueis implicat, quæ gratia Dei & cælestibus donis spoliat, quæ à societate Fidelium & communione Sanctorum disiungit, quæ pacem & tranquillitatem populi Dei perturbat & euertit, quæ ordinem confundit, quæ seditiones & simultates alit, quæ fraterno odio & diabolica inuidẽtia res rectè constitutas subruit, & cæca quadã colluuie vniuersa permiscet, quæ Regno cælorum extorres, & & Gehennæ incendio obnoxios efficit. Illa, inquam, perniciosa lues, vnde tot, tam grauia

Quanta incommoda ex schismate nascuntur.

grauia diſpendia & detrimenta importantur, quomodo non omnibus modis vitanda erit? Quomodo non cenſebitur publico quodam piorum omnium odio digna? Aut quo pacto ferri aut tolerari poterunt, qui tantam perniciem & cladem vel Eccleſiæ Chriſti inferre audent, vel illatam fouere & propagare, non pertimeſcunt?

Et, ſi quantum Schiſmati malorum inſit, perſpicere volueris, oportebit te conſiderare, quantam bonorũ omnium affluentiam pax & concordia apportet. Si enim tã amœna & amabilis ſit pacis & cõſenſionis præſtantia, vt cùm in ciuilibus, tùm in Eccleſiaſticis rebus multũ valeat, & ab omnibus non planè improbis vehementer expetatur: ſi vniuerſa floreant tam in Republica, quàm in Eccleſia Dei, quàmdiu res pacatæ & tranquillæ ſint: ſi tam inſignis ſit vnitatis & concordiæ maieſtas & vtilitas, vt vix comperias quod cum ea cõparari & conferri poſsit: profectò ingens erit Schiſmatis horror, & deteſtabilis planè indignitas, quæ concordiam rumpit & diſsipat, lites & ſimultates inducit, atque vnitatem populi Dei, quæ vna Deo eſt gratiſsima, & mortalibus fructuoſiſsima, dilacerat. vnde pietatis ruina, Eccleſiæ deformatio & totius penè Religionis vaſtitas conſequitur. Quiſquis enim Schiſmatis

laqueo irretitus est, is omnis omnino san-
Schismaticus est expers omnis sanctificationis. ctificationis & expiationis expers efficitur. Neque verò potest gratiæ & remissionis, quæ est in Christo, particeps fieri, qui per pestiferam diuisionem à Christo se patitur separari. Nulla igitur sanitas, nulla mundities illi communicatur, qui tam lethali vulnere saucius, tam impuris sordibus maculatus, & fraterno odio exardescens, ab vniuerso Christi corpore se discindit, & à societate Christianorum abalienatur.

Lib. 2. contra Cresc. Grammat. cap. 13. Mundátur, inquit D. Augustinus, homines & Verbo veritatis ab illo, qui ait: Iam
Iohan. 15. vos mundi estis propter verbum quod loquutus sum vobis. Mundantur & sa-
Psal. 50. crificio contriti cordis ab illo, de quo dictum est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Mundantur & elee-
Lucæ 11. mosynis ab eo, qui ait: Date eleemosyná, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, charitate ab illo, qui per Apostolum Pe-
1. Petri 4. trum dixit: Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Quæ vna si adsit, omnia illa rectè fiũt: si autem desit illa, omnia frustra fiunt. Ergo absque charitate, quam nullus Schismaticus habet, sanctificationem & cordis munditiem nemo assequetur.

tur. Non enim poteſt eſſe particeps diuinæ charitatis, qui eſt hoſtis vnitatis, ſicut dixit (& rectè quidem) D. Auguſtinus. Epiſt. 50. ad Bonif. Comitem.

Quomodo enim gratiam Chriſti & ſanctimoniam participare poterunt, qui ſe hoſtes Chriſti, aſſeclas autem Sathanæ efficiunt? qui Chriſto aduerſantur, Antichriſto inſeruiunt? qui à corpore Chriſti ſegregati, diabolo adhæreſcunt, & diſcordiæ & ſeditionis alumni fiunt? iſtis turpiſsimo hoc ſchiſmatis & ſeceſsionis ſcelere coinquinatis, nihil quidem poteſt eſſe mundum, cùm illorum & mens & conſcientia coinquinata ſit. Tit. 1. Quæ itaque aliàs vtilia extitiſſent & prodeſſent, ſi in vnitate ac pace perſeuerare voluiſſent, ea iam diſiunctis ac præciſis propter diſſidij vulnus, inutilia planè & infructuoſa efficiuntur. Id quod idem Sanctus Præſul luculenter illuſtribus quibuſdam ſimilitudinibus explanat: Iam, inquiens, ex hoc etiam tibi occurrere multa non dubito, quæ quamuis bona ſint, ad vtile aliquid inſtituta, non omnibus tamen habentibus ſunt vtilia, ſed tantummodo benè vtentibus. Cõt. Creſc. Grammat. lib. 1. c. 23. Nam cùm eadem luce & ſani oculi perfunduntur, & ſaucij, illis adiumentum eſt, iſtis tormentũ. Idem cibus alijs valetudines alit, alijs lędit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitat.

Eadem arma alios muniũt, alios impediũt. Eadem vestis alijs integumento est, alijs implicamento. Sic & Baptismus alijs valet ad Regnum, alijs ad Iudicium. Hæc Augustinus.

E quibus manifestum est, quòd si nec Baptismi sanctificatio illis posit, qui in separatione Schismatis illo Sacramento non bene vtuntur: reliqua omnia, quę in Schismaticis vidẽtur esse bona, inutilia & otiosa, imò perniciosa illis existere. Hinc est, quòd scientia, fides, Prophetia nihil illis conducunt, qui per odium fraternum in Schismatis demergũtur foueam. Si, inquit
1.Cor.13. Apostolus, linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et, si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero: nihil sum. Et, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest. Ergo donum linguarum, Prophetia, Mysteriorum omnium scientia, fides, facultatum in eleemosynas profusio & mortis perpessio nihil illis commodát, qui Schismatis cænoso gurgite demersi sunt,

ſunt, propterea quòd charitatem non habeant.

At hîc forſan percontabitur quiſpiam: Nunquid, quiſquis Schiſmate implicatur, charitate cenſebitur vacuus? Annon poterunt etiam Schiſmatici charitatem & amorem fraternitatis retinere? Nequaquam certè. Nam ſine Spiritu ſancto Charitas in mentibus mortalium non inſeritur. Eſt enim fructus Spiritus charitas. Et, ſicut Galat.5. Apoſtolus docet, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum Rom.5. qui datus eſt nobis. Sed Spiritus ſanctus in illis non inhabitat, qui per odium fraternum à corpore Chriſti myſtico diſſecti & ſeparati ſunt. In Eccleſia, inquit Irenęus Lib.3. cõt. hær. c.40. poſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, Doctores & vniuerſam reliquam operationē Spiritus, cuius nõ ſunt participes omnes, qui non concurrunt ad Eccleſiam, ſed ſemetipſos fraudant à vita per ſententiam malam & operationem peſsimam. Vbi enim Eccleſia, ibi & Spiritus: & vbi Spiritus Dei, ibi & Eccleſia. Eccleſia enim Catholica eſt corpus Chriſti, in quo quidem ſolo corpore viuidè & efficaciter ad ſalutē operatur Spiritus Chriſti. Quiſquis igitur ab vnitate illius corporis eſt præciſus, is quidem non eſt particeps Spiritus ac charitatis. Nam quomodo poterit charitatem fra-

fraternam retinere, qui fraterna inuidentia & maligno odio impulſus & ardens, Vnitatis vinculum rumpit, qui Domino
Prouerb.6 exoſus, & maligna improbitate inflammatus, inter fratres lites & ſimultates ſerit, qui vipereo ore venenatas calumnias & turpiſsima conuitia contra Christi Sponſam Eccleſiam euomit, qui pacis & concordiæ hoſtis ſit?

Ioan.11. Christus Dominus, ſicut Euangelium docet, mortuus eſt, vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum, vt firmiſsimo mutui amoris vinculo ſuos omnes inter ſe colligaret. At qui Schiſmatis authores ſunt, cum ſuo patre diabolo id agunt, vt oues Christi, quæ in ouili collectæ ſunt, diſpergantur, vt populus Dei, qui adunatus fuerat, in ſectas ac factiones diſtrahatur. quam quidem à ſuo Principe Diabolo artem edocti ſunt. Vnum enim, inquit
Lib.1 ep.1 Cyprianus Martyr. primò aggreditur, vt lupus, ouē ſecernere à grege, vt accipiter, columbam ab agmine volantium ſeparare tentat. Nã cui nō eſt aduerſus omnes ſatis viriũ, circumuenire quærit ſolitudinē ſingulorũ. Cæterùm in vnũ congregare, quò Dei exercitus adunatus, inuictior ſit, eſt opus charitatis. Ac proinde contra charitatē eſt, illos, qui in vnam coierunt ſocietatem, abinuicem diſiungere, atque in factio-

ctiones separare. Per vinculum charitatis, quæ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, sed omnia sufferens, omnia sustinens, congaudet æquitati, pax & vnitas Ecclesiæ conseruatur. Per dissipationem & dilacerationem inuidentiæ, quæ est contraria charitati, & contraria efficit (nam & æmulatur, & perperam agit, ac proteruiens, procax & fastidiosa est, & irritabilis, & malum comminiscitur, & de iniquitate exultat & gloriatur, & reliqua designat, quæ paci & quieti sunt inimica) schismata primùm excitantur, posteaque aluntur. Igitur perspicuum est, illos æterno odio flagrare, qui Ecclesię vnitatem & pacem à Christo constitutam, à Spiritu sancto stabilitam, schismatibus discindere contendunt. Sapientia enim ista, quæ turbis & tumultibus vniuersa complet, non est desursum à Patre Luminum descendens, (Nam quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica) sed est à Principe tenebrarū. Nam in hoc, sicut Apostolus scribit, manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis enim, qui non est iustus, non est ex Deo: & qui non diligit fratrem suum, &c.

1. Cor. 13.

Iacobi. 3.

1. Iohan. 3.

Qui

Schismatici omnes homicidæ & filij diaboli.

Qui enim non diligit, manet in morte: & qui odit fratrem suum, homicida est. Nam sicut diabolus, inquit Augustinus, ab initio homicida fuit, & primum hominem occidit, non stringendo gladium, aut aliquã vim inferendo, sed persuadendo peccatũ: sic & Schismatis authores, filij diaboli, homines ab vnitate Ecclesiæ seducendo interficiunt. Dominus dixit: Per omnes gẽtes, incipiens ab Hierusalem. Ab isto vniuerso, ad partem quamlibet, quisquis separat hominem, ille diaboli filius & homicida conuincitur. Et Ambrosius: Phariſęos quoq; asserit (Christus) diabolico vti spiritu, qui separarent Ecclesiam Dei: vt omnium temporum Hæreticos & Schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiã negat: quòd omne peccatum, circa singulos est: hoc, in vniuersos. Soli enim sunt, qui volunt soluere Christi gratiam, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quã passus est Dominus Iesus, Spiritusque sanctus datus est nobis. Et lib. 7. in Lucam, Cap. 11. Vnde omnes quoque hęreticos & Schismaticos à Regno Dei, & ab Ecclesia intellige separatos. Et ideo non Dei, sed immundi Spiritus omnes Schismaticorum Hęreticorumque liquidò constat esse conuentus.

August. cont liter. Petil lib. 2 cap. 13.
Luc. 24.
Lib. 2. de Poenit. cap. 4.
Matth. 12.
Amb. lib. 7 in Luc. c. 11

Schismatici itaque omnes, qui vnitatem

Catholicæ Ecclesiæ dissecant, & ad factiones secedũt, vniuersalemque Christianorum communitatem deserunt, homicidæ sunt & filij Diaboli. Quantumlibet de Verbo Dei & Christi Euangelio glorientur & iactitent, quantumlibet suas virtutes prædicent, quantumlibet externam quandam sanctimoniam ostentare pergãt: certè quamdiu per discordiæ vitium ab Ecclesiæ communione seiunguntur, diaboli mancipia existunt. Nam si Ecclesiæ pax à Deo est, illius pacis violatio à diabolo est. Rectè proinde istiusmodi superbos & superciliosos concordiæ ac vnitatis hostes per Apostolum Christi sic est alloquutus Spiritus Dei: Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mẽdaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens à Patre Luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Iac.3.

Quicunque ergo turbulẽtis motibus piorum pacem perturbant, quicunque seditiosis Schismatum secessionibus tranquillitatẽ & integritatẽ populi Dei labefactãt & proscindũt: terreni sunt, animales sunt, diabolici sunt. Terreni autẽ, quòd imaginẽ primi Adæ gestãtes, terrena ac caduca sectantur & quærũt. Animales verò, quòd ea, quæ sunt spiritus, non percipiunt. 1.Cor.15.

Stul-

Stultitia siquidē illis esse vidētur, eò quòd euanuerūt in suis ipsorū disceptationibus & argutijs, & obtenebratum est insipiens cor eorū. Diabolici autē, quia ex diaboli parte stant, & odio ac furore dementati, contra pacem & vnitatem Christi pugnāt, Sathanæque captiui effecti, illius maligno instinctu ad improbitatem omnem præcipites aguntur. In eos igitur illud Saluatoris competit: Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecū, spargit. Quare quoniam cum Christo in vnum ouile Christi oues cogere & colligere recusant, simul cum diabolo gregem Domini disgregare, atque oues Christi dissipatas mortis periculo exponere gestiunt.

Rom. 1.

Matth. 12.

Iam verò quis explicare valeat, quanta Religioni importetur deformatio & calamitas truculento Schismatis maleficio? Quæ vis eloquentiæ, quod orationis flumen, tam tetrum & atrox malū aptè depingere & verbis sic efferre posit, vt rei indignitati orationis respondeat acerbitas? Primùm enim fides & Religio Christi sic est vna, vt si vna non sit, ne fides quidem & Religio Christi haberi posit. Hanc vnam Religionem Schisma in sectas discindit, atque sic deformat, vt veræ Religionis & vim & nomen amittat. Nam posteaquam ab orthodoxa & Catholica Ecclesia in par-

Vna fides per Schisma scinditur.

Ephes. 4.

partes & factiones discessum fuerit, nomen sibi nouum aucupantur & quærunt: adeo vt ipsorum fides & Religio non amplius appelletur Christiana, prisco illo & antiquo nomine, sed ab Hæreseôn & Schismatis Principe & Architecto aut Ariana, aut Photiniana, aut Macedoniana, aut Nouatiana, atque (vt de recentibus, quæ nostra ætate emerserunt) Sectis loquar, aut Lutherana, aut Anabaptistica, aut Zuingliana, aut Seruetiana, aut Caluiniana, aut Dauidgeorgiana nuncupatur. Adeo vt Christiana Religio, quæ vna vera est, in tam discrepantes & diuersas disciplinas dissecta, splendorem & dignitatem deperdat, neque solùm fumosa caligine offuscetur, sed & prodigiosis ac nefandis dilaceretur scissionibus. De quibus omnibus simul cum Beato Hieronymo pronunciare rectissimè possimus: Sicubi audieris, eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses siue Campates: scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Hieron. aduersus Lucifer.

Conuēticula sunt igitur Sathanę istę tam dissectę & multiplices sectę, labesq; ac maculę, quibus Christi Spōsa turpiter cōtaminatur, ac pernicioso quodā dissidio miserè

discer-

diſcerpitur. Dum enim ſingulæ factiones Eccleſiæ nomen & poteſtatem ſibi arrogant, atque tam inter ſe inuicem digladiātur, quàm contra Catholicam Eccleſiam bellum gerunt: fit, vt oues Chriſti, quas ſuo ſanguine mercatus eſt, & in vnmm col legit, in multas partes diſtrahantur, vtque illius Regnum contra ſeſe inteſtino odio exardeſcat. Cui malo niſi Dominus mederi dignetur, quid aliud, quàm totius interitus expectari poterit? Omne enim

Matth, 12. Regnum in ſeipſum diuiſum, ſicut Saluator ait, deſolatur. Chriſti itaque Regnū, ſi in ſe diuiſum ſit, quomodo poterit ſtare? Quēadmodū enim ſi eiuſdē corporis mēbra ſingula vel capitis imperiū abnuerent, vel ſeinuicem oppugnarent, ipſius quidem corporis integritatem & ſalutem euerterent: aut ſi eiuſdem exercitus cohortes & turmæ prælīū inter ſe committerent, facilè abſq; externo hoſte proprijs ſuis armis & telis confoderentur & corruerent: aut ſi eiuſdem Ciuitatis ciues domeſticis ſeditionibus ſeſe mutuò iugularent, ingentem perniciem ac cladem ſuæ patriæ ac ciuitati inferrent: ſic certè, quando Chriſtiani in varias ac inter ſe diſcrepantes ſectas & factiones dilabuntur, quarum ſingulæ tam ſe mutuò, quàm vniuerſam Chriſti Eccleſiam euertere ac delere omnibus neruis conten-

Multū iactari Eccleſiam Dei à Sectis & Schiſmaticis.

contendunt, neceſſariò quidem efficitur, vt tota Eccleſia turbulentis hiſce fluctibus ac tempeſtatibus multum labefactetur.

Rectè itaque monet Apoſtolus, dicens: Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Et licet potens ſit Dominus præſtare, vt dum ab vnitate Eccleſiæ alij diſcedunt, alij ipſorum loco recuperentur, ſicuti Iudæis in incredulitatem lapſis, Gentes ad Chriſti fidem per Dei gratiam acceſſerunt, ſicut & Aſianis à fide & Eccleſia præciſis, Septentrionales populi ad fidē confluxerūt, ſicuti etiam hodierno die eiſdem ſeptentrionalibus gētibus à pura Religione dilabaſcentibus ad funeſtas Hæreſes & horrenda Schiſmata, magna multitudo Inſularum prius incognitarum ad Chriſti Religionem lucrifiunt, atque ad ſocietatem Fidelium per miſericordiam Dei adiunguntur: & licet fons ipſe in ſua ſcaturigine perpetuo quodam liquore manet & fluat, licet Domus Dei integra ſemper in ſeipſa exiſtat: tamen riuuli, qui à fonte abſciſsi & dirempti ſunt, exareſcunt, & quæcunq; foras extra domum eiecta ſunt, ea quidem prædonum inſidijs & rapinis obijciuntur. Quemadmodū etenim cum alta turris vel terræmotu vel puluere bombardico à fundamento ſubagitatur, tam

Galat. 5.

Rom. 11.

Quomodo Eccleſia vna manet, etſi multæ ſectæ ab ea fiant.

E parie-

parietes, quàm contignationes & tecta fue cutiuntur, singulæq́; partes vehementi pulsu labascunt & tremunt, nó absque horrédæ ruinæ ingenti periculo: sic cum Schismatis motu Ecclesia Christi cóquassatur, mirifica quædam tùm totius ædificij illius cælestis, tùm singularum partium superædificatarum consequitur turbatio. Nam sicut doctissimus vir Vincentius scripsit: Reuera cum quæque ebullit nouitas, statim cernitur frumentorum grauitas & leuitas palearum. Tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alij prorsus auolát, alij veró tantummodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, saucij, semineces, ac semiuiui: quippe qui tantam veneni hauserint quátitatem, quæ nec occîdat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere sinat. Heu miseranda conditio! Quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc enim quâ ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in semetipsis reuersi, tanquam contrarij fluctus relíduntur: nunc temeraria præsumptione, ea, quæ incerta videntur, approbant: nunc irrationali metu ea, quæ certa sunt, expauescunt, incerti quâ eant, quâ redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant.

Vincent Lirinen. cótra pro fan nouat.

Tan-

Tantas verò & tam turbidas procellas simul cum Schismate Dominus irruere sinit, quò tot incommodis, tot fluctibus homines fatigati, velis superbiæ depositis, in Catholicæ Matris Ecclesiæ tranquillum sinum ac portũ profugere, & sese recipere approperent, ne vastis sæuientis sali gurgitibus absorbeantur. Nam Schismatis nefanda pestis non solùm ingentem deformitatem vniuersæ Ecclesiæ infert, sed certã illis perniciem & interitum, qui vel superbientes sese ab vniuerso Christi corpore præcîdunt, vel aliorum fraudibus & imposturis circumuenti, à societate & cœtu Fidelium in pestilentes abducuntur sectas.

Cur tantas turbas schismaticorũ, Deus nasci sinat.

Neque solùm efficit schisma, ne quid salubriter ab ijs, qui eo malo laborant, geratur (Sicut enim palmes, inquit Dominus, non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis) sed etiam exectis à reliquo corpore vitam & salutem eripit. Id apertè docuit Saluator, quando ait: Si quis in me non mãserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. In Christo autem nõ manet, quisquis ab Ecclesia corpore Christi seiunctus & separatus est, ac proinde tanquam membrum exectum & amputatũ, vita & spiritu gratiæ caret, & vitiorum squallore mar-

Iohan. 15.

Nulla vita neque salus in schismaticis.

cessit, tandemque, nisi resipiscens ad Ecclesiæ vnitatem agglutinetur, sicuti iam est à populo Dei dissociatus, in extremo die Angelico ministerio separabitur à piorum contubernio, simulque cum incredulis & impijs, perpetuis Gehennę incendijs adiudicabitur. Ad Regnum enim peruenire non potest, qui Ecclesiam Christi Spōsam, quæ pariter cū Sponso regnatura est, deserit. Etenim, etiāsi quispiam ex talibus apprehēsus à persequutoribus Christianę fidei, mortemque perpessus fuerit: non est quòd sibi, sicut Cyprianus Martyr affirmat, quasi in cōfessione nominis blandiatur: cùm cōstet, si occisi eiusmodi extrà Ecclesiā fuerint, fidei coronā non esse, sed pœnā potius esse perfidiæ, nec in domo Dei inter vnanimes habitaturos esse, quos videmus de pacifica & diuina domo furore discordiæ recessisse.

Cypr li. 1. epist. 6.

Martyriū in schismate toleratū est poena perfidiæ.

Cauēndū itaq;, ne pertinaci & animosa peruersitate in sacrilegiū Schismatis, quod quidē (vt Augustinus scripsit) omnia scelera supergreditur, impietatis cæcitate irruamus. Nō enim prodest Schismaticis, si linguam in sacris Mysterijs habeant angelicā, & Prophetiam, quemadmodum Caiphas & Saul, vt aliquando prophetent, quos fuisse dānabiles, sacra Scriptura testatur: si Sacramenta non tantùm sciant, sed & habeant,

Lib. 1. cōt. Parm. c. 4. Augustin. cōt. Don. lib. 1 cap. 9 Iohan. 11. 1. Re. 18. 19

beant, ſicut habuit Simon Magus: ſi fidem, Actor. 8.
ſicut Dæmonia confeſſa Chriſtum, (neq; Nulla bona opera in ſchiſmate valent ad ſalutem
enim non credebant, cùm dicerent: Quid nobis eſt & tibi, Fili Dei? Scimus qui ſis.) ſi diſpertiant ipſi etiam ſubſtantiam ſuam pauperibus, ſicut multi nō ſolùm in Catholica, ſed in diuerſis hæreſibus faciunt: ſi aliqua ingruente perſequutione tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide quam pariter confitentur: tamen quia ſeparati hæc agunt, non ſufferentes inuicem in dilectione, neque ſtudentes ſeruare vnitatē Spiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus, quę eis nihil proſunt, ad æternam ſalutem peruenire non poſſunt. Nihil itaq;, inquit idē Auguſtinus, prodeſt homini vel ſana fides, vel ſanum fortaſſe ſolū fidei Sacramentū, vbi lethali vulnere Schiſmatis perēpta eſt ſanitas charitatis, per cuius ſolius peremptionē etiā quę integra ſunt trahunt ad mortē. Et ob eam rem nō veretur aſſeuerare, quòd infideles ac Idololatrę, qui à Schiſmaticis baptiſantur, ipſo Schiſmatis vulnere atrocius ſaucientur. Itaque inquiens, quos illi baptiſant, ſanant vulnere Idololatrię, vel infidelitatis, ſed grauius feriunt vulnere Schiſmatis. Idololatras enim in populo Dei gladius interemit, Schiſmaticos autē terre hiatus abſorbuit.

Mar. 1. 1. Cor. 13. Epheſ. 4. Lib. 2. cōt. don. c. 6. Exod 32. Numer. 16

Ibid, ca.6 Quocirca Augustinus audacter ex ipsis Scripturis pronunciare est ausus, grauiora esse Schismaticorum crimina, quàm traditorũ aut Idololatrarũ: Non afferamus, inquit, statêras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro, dicentes hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus, tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & Idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ira Regis contemptoris incensus, & schisma tentatum: & Idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate, schisma hiatu terræ sepultis authoribus viuis, & cæteris cælesti igne cõsumptis: quis iam dubitauerit, hoc esse sceleratius commissum, quod est grauiùs vindicatum? Quibus apertè quidem ostendit præclarissimus ille Præsul, Schismatis funestum flagitiũ Idololatriæ crimine atrocius existere, propterea quòd illud mitius, istud grauius vindicatum sit, non humano arbitrio, sed Diuino iudicio.

Exod.32.

Hier.36.

Atque hoc loco non possum quin comme-

memorem, quod in hanc sententiā contra ſchiſmaticos Donatiſtas ab Optato Mileuitano diuinitus ſcriptum eſt. Schiſma, inquit, ſummum malum eſſe, & vos negare minimè poteritis. Et tamen Dathan, & Abyron, & Chore perditos magiſtros veſtros ſine trepidatione eſtis imitati, nec ponere ante oculos voluiſtis, hoc malum & verbis Dei eſſe prohibitū, & admiſſum grauiter vindicatum. Deinde eſſe diſtantiam delictorum, aut remiſsio teſtatur, aut pœna. Denique inter cætera pręcepta etiam hæc tria iuſsio diuina prohibuit. Nō occides, non ibis poſt Deos alienos. Et in capitibus mandatorum: non facies ſchiſma. Videamus de his tribus quid oportuit puniri, & quid meruit relaxari. Parricidium principale delictū eſt, & tamen Cain nec reus à Deo percutitur, ſed occiſus inſuper vindicatur. In Niniue ciuitate hōminum numero centum viginti millia ſacrilega, quę Deos alienos ſequi videbátur, poſt iracundiam Dei & nūcium Ionę Prophetæ, ieiunium parui temporis & oratio indulgentiam meruit. Videamus ſi aliquid tale conſecuti ſunt ij, qui populos Dei primitus auſi ſunt ſcindere. Tot millibus virorum Iſraël, quorum à ceruicibus diuina prouidentia iugum ſeruile deiecerat, Aarō ſanctum vnum præfecerat Sacerdotem.

Optatus lib. 1.

Sed cùm miniſtri eius, ſacerdotiũ non ſibi debitum concupiſcétes, ſeducta parte populi illicitè inuaderét, ritũ imitati ſacrorũ, ducétos & quod excurrit miniſtros ſecum perituros cum thuribulis in fronte ſeducti populi poſuerunt. Deus, cui diſplicet ſchiſma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodo Deo bellum, quaſi eſſet alter Deus, qui alterum acciperet ſacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis iratus eſt ira magna. Et quod in ſacrilegos & parricidã non fecerat, in Schiſmaticos fecit. Stabat miniſtrorum acies & multitudo ſacrilega cum interdictis ſacrificijs ſuis illico peritura: negatum & ſubductũ eſt pœnitentię tempus, quia nõ talis erat culpa, quæ veniam mereretur. Mandata eſt terræ fames, ſtatim fauces ſuas in populi diuiſores aperuit, & contemptores mãdatorum Dei auido ore abſorbuit. Intra momenti ſpatium ad tranſglutiendos prædictos terra patuit, rapuit, clauſa eſt. Et ne beneficium de mortis compendio conſequi viderentur, dum non eſſent digni viuere, ijs nec mori conceſſum eſt, tartareo carcere ſubitò clauſi, antè ſunt ſepulti, quàm mortui. Et miramini, vobis aliquid tale aſperè factũ, qui Schiſma aut facitis, aut colitis, cùm videatis, quid magiſtri primi Schiſmatis pati meruerunt?

An quia cessat talis modò vindicta, ideò tibi cum tuis vindicas innocentiá? Deus in singulis rebus exemplorum posuit formá, vt sit quod imputet, & imitantibus prima peccata ad exemplum præsens pæna compressit, secunda iudicio reseruabit. Quid ad hęc dicturi estis, qui Schisma, vsurpato Ecclesiæ nomine, & occulte nutritis, & impudenter defenditis? &c. Hæc Optatus, prolixè quidem, sed eleganter, & ad eam rem, qua de nunc agitur, accommodatè.

Huc accedit, quòd tanta sit Schismatis fœditas & indignitas, vt peccata etiam, quæ prius dimissa fuerant, reuocet & redire cópellat ad cumulum grauissimæ cõdemnationis, illis, qui post impetratam veniam, ad ingratam & inhumanam secessionem ac separationem confluunt. Immanissimum enim scelus odij & discordię efficit, vt quæ antea cõdonabantur, denuò imputentur. Nam redire dimissa peccata, sicut Augustinus ait, vbi fraterna charitas non est, Dominus apertissimè docet in Euangelio de illo seruo, quem cùm inuenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit. Ille autem conseruum suum, qui ei debebat cétum denarios, cùm miseratus nõ fuisset, iussit eũ Domin⁹ reddere quę ei dimiserat. Cõtra Donatist. li. 1. cap. 12. Matt. 18.

Pro-

Propter odij etenim perſeuerantiam in caput ipſius omnia rurſus repentè replicata ſunt. Cùm enim Dominus, illius in conſeruum crudelitatem audiret, eo accerſito, ait: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nónne ergo oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tuî miſertus ſum? Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoad vſque redderet vniuerſum debitum. Propter fraternam itaque inuidentiam repetitur, quod iam condonatum fuerat, & illius, quod dimiſſum erat, pœna exigitur.

Atrox proinde & funeſtum eſt fraterni odij & diſcordiæ crimen, teterrimum & immaniſsimum ſchiſmatis ſacrilegiú, quo non ſolùm virtutis ac pietatis nerui eliduntur, ipſaque Baptiſmi ſanctificatio caſſa & inutilis redditur, Prophetia & Scripturarum ac myſteriorum omnium intelligentia, fides quoq; & largiſsima eleemoſynarũ profuſio, mortiſq; perpeſsio infructuoſa efficiuntur: ſed & prius dimiſſa ſcelera ad vltionem & ſupplicium reuocantur, preceſque ineſficaces, ac diuinis auribus indignæ fiunt, vtpote quæ in Schiſmate ſine charitate funduntur. Non immeritò itaq; ab Auguſtino aſſeueratur ipſum Schiſmatis nefandum ſcelus eſſe Idololatria grauius ac pernicioſius. Nihil ſanè, inquit Chryſoſtomus,

Shiſma grauius Idololatria.

ſtomus, ita Deum irritat, ſicut Eccleſię diuiſio. Etſi innumera bona operati fuerimus, non minores tamē pœnas dabimus, quàm qui corpus ipſius Chriſti proſciderunt, ſi plenitudinem & integritatem Eccleſiaſticam diſcerpſerimus. Illud verò lucro quidem factū eſt totius orbis, tametſi non eo animo, ſi reprobos illos reſpexeris: iſtud verò nihil vſpiam commodi habet, ſed plurimum nocumēti. Plurimum profectò detrimenti ac diſpendij ſecum importat Schiſma, quo ampliſsimum Dei donum (pax & vnitas) rumpitur, quo charitas violatur, quo Eccleſia Sponſa Chriſti diſcinditur & turpiſsimè fędatur, quo pietas omnis extinguitur, quo innumera & horrenda vitia inuehuntur & influūt, quo Sathanæ mancipia, & æternis tartari cruciatibus obnoxij, mortales efficiūtur, quo æterna beatitudo amittitur, & perennis pœna conciliatur.

Homil. 11. in 4. cap. ad Ephes.

Omni itaque ratione cauendum eſt, ne aut Schiſmatis ſatores ſimus, aut tam tetro & funeſto ſcelere noſmet inquinari ſinamus, aut illis, qui ſchiſmatici ſunt, vel aſſenſu noſtro, vel etiam vitæ conſuetudine & contubernio adiungamur. Omnia Sacramenta Chriſti, inquit Auguſtinus, non ad ſalutem, ſed ad iudicium habentur ſine charitate vnitatis Chriſti. Quiſquis enim

Contra lit. Petil. lib. 3. cap. 11.

ille eſt, & qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus
Li. 4. ep. 2 certè non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non
eſt, ſicui Cyprianus Martyr ſcripſit.

Vnde Schiſmata oriri ſoleăt, & quæ ſunt Schiſmatum genera.

CAPVT. IIII.

CVM verò ex his, quæ breuiter perſtrinximus, ſatis quidē perſpiciatur, quàm horrendum & tetrū ſit hoc, de quo diſputamus, Schiſmatis monſtrum, quamq; Eccleſiæ Chriſti & fidelibus vniuerſis perniciosum & peſtilens: conſequi videtur, vt quāta poſſumus perſpicuitate & luce oſtendamus, è quibus radicibus tam prodigioſa & læthalis planta profundatur & pullulet. Nam etiamſi diligentius & ſtudioſius quærendū ſit, quomodo populus Dei tanto malo liberari, & Eccleſia de tam profundo præcipitio erui poſsit, quàm quomodo & quibus rationibus in puteum illum cænoſum prolabatur (quod de eo, qui in puteum inciderat, interrogato ab amico, quærente, quomodo in eum lapſus eſſet, facetè Auguſtinus commemorat) tamen quoniam ſine
Auguſtin. Epiſtol. 29 hoc illud commodè expediri non poteſt, etiam de Schiſmatis origine pauca dicēda ſunt. Facilior enim morbi futura eſt curatio, ſi cauſę morbi diligenter inueſtigatę fue-

fuerint & cognitæ. Neq; verò periculosa ægritudo tollitur, nisi illius nutrimenta & causę prius tollátur: neq; mortiferū illud virgultū euelli & extirpari vnquá poterit, nisi singulæ ipsius fibræ tùm diligẽter perquisitæ, tùm stirpitus fuerint eradicatæ & euulsæ. Nam quádiu vlla venenatæ illius radicis venula nō rescissa mãserit, tamdiu de integro pestis retrondescet, nec penitus extingui & deleri poterit. Atque si verum dicere volumus, necessario quidẽ statuere debemus, quòd sicut Christus est Ecclesiasticę pacis ac vnitatis donator & cōseruator, sic Christi hostis diabolus Schismatum ac seditionū sit architectus & author. Is est enim, qui maligna sua instigatione mortalium pectora ad cædes & tumultus semper incitat & accendit. Cæterùm sicuti superius docuimus, quibus vinculis & nodis Christus & cælestis Pater sui populi consensionem constrinxit & colligauit: sic hoc loco ostendendū est, quibus cuneis Sathanas hanc corroboratam & cōstabilitam Christiani populi conglutinationẽ diffindere conetur & dissipare. Et primo quidẽ loco illud in genere succurrit, quòd sicut charitatis glutino Dei popul⁹ in vnū cōpingitur & coalescit, sic odij ac inuidentię morsu & aculeo in sectas & factiones discecatur. Est igitur hoc malitię siue odij malum,

Diabolus Schismatis architectus est.

malum, omnium diſsidiorum ac ſchiſma-
Odiũ origo ſchiſmatis. tum ſeges ac ſeminarium. Annon, inquit Auguſtinus, in Schiſmate eſt fraternum odiũ? Quis hoc dixerit? cùm & origo & pertinacia Schiſmatis nulla ſit alia, niſi o-
Lib.1. cõt. Dona c.11 dium fraternum. Ex odio itaque naſcitur quodque Schiſma. Duę quidem ſunt, in-
Hom.11. in 4.Eph. quit Chryſoſtomus, corporis Eccleſiaſtici diuiſiones: vna quidem, quando in nobis refrigerata fuerit charitas: altera verò, quando in corpus illud auſi fuerimus. Cæterùm neque charitas elangueſcit, niſi malitia efferueſcente, neque quiſquam Chriſti corpus temerario auſu impetit & inuadit, niſi maligno odij & inuidentiæ furore inſtimuletur. Odium enim
Prouer.10. ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit Charitas, ſicut Sapiens docet. Contentioſa autem & am rulenta corrixatio ex ſuperbia ferè ebullire ſolet. Neque enim fieri poteſt, quin ſuperbus, qui aduerſus Deum rebellis eſt, facillimè in fraternum
Numer 15 odium & iurgia prorumpat. Inter ſuperbos enim ſemper ſunt iurgia. Nam & vbi
Prouerb.13 ſuperbia, ibi eſt & contumelia. Sicut itaq; cum per humilitatem inuicem cedunt, inuicem ſeruiũt, & quiſque alterum ſe præſtantiorem exiſtimat, pax & tranquillitas conſeruatur & efflorеſcit: ſic cum per faſtum & animi elationem alter alterum aſpernatur,

pernatur, contemnit, conculcat & vilipēdit, ſcinditur & diſsipatur concordia atq; vnitas: Vt rectè dixerit Auguſtinus: Quòd ſi ſuperbia humana nulla eſſet, nullos futuros hæreticos aut ſchiſmaticos. Et Optatus Mileuitanus: Schiſma, ait, ſparſo coagulo pacis, diſsipatis ſenſibus generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus roboratur. Lib. de vera rel. c. 25. Lib. 1. cōt. Parmen.

Rectè proinde à contentione & inſolētia, quæ ſunt flagitioſiſsimæ, initæ ſemel & coalitæ ſocietatis peſtes, dehortatur Apoſtolus Philippēſes, quos tam obnixè precatur, vt vnanimes idipſum ſentiant, nec quicquam per contentionem & inanem gloriā gerant, ſed per humilitatē ſuperiores ſe inuicē arbitrentur. Mater itaq; odij eſt ſuperbia. ex illa enim odiū, ex odio cōtentio & rixa, ex rixa diſciſsio & Schiſma naſcitur. Nam & ſic euenire conſueuit, vt ex altero peccato, grauius peccatum emanet, vtq; quaſi quadam cathena ipſa inter ſe ſcelera colligentur, ſic vt ex vno alterum producatur. Quum enim homines vel præ ſuperbo vel præ irreligioſo affectu, parū ſolicitè tenaces ſunt orthodoxæ conſociationis, vel etiam ſacroſancta Eccleſiæ Inſtituta & Decreta floccifaciunt: fit, vt quaſi quodam gradu facto, ad lutulentum & fœdum Schiſmatis volutabrum Philip. 2.

præci-

præcipites ferantur. Sic enim peccatú peccato plecti & puniri solet, sic peccatum peccati causa & pœna efficitur.

Rom. 1. Id quidé ex Pauli Apostoli scriptis clarè docemur, qui affirmat, iram Dei de cælo reuelatam esse super omnem impietaté hominum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Et qualis illa cælestis sit ira, & in quos declarata, sequentibus ostendit, sic scribens: Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Ingens profectò inhumanitas & ingratitudo, Deum agnitum non colere, non honorificare, authorem & fontem totius humanæ salutis laudibus non efferre. Sed illud etiá acerbius & atrocius peccatum est, quando humanus animus fastu inflatus, suis cogitationibus Diuinum & incomprehensibile Numen metiri & comprehendere laborat. Nam tùm quidé, quoniam infinitam & ineffabilem naturam Diuinitatis imbecilles homines assequi nequeunt, ad quandam inanitatem insani ac dementes aguntur, atque adeo euanescunt, id pro Deo colétes, non quod Deus est, sed quod ipsimet sibi opinionis errore confinxerunt. Ac propterea cùm sapiétes sibi videantur, stulti facti sunt, mutantes gloriá incorruptibilis Dei in similitudiné ima-

Quomodo peccatum vnum ex altero soleat sequi.

imaginis corruptibilis hominis. Ex hoc tã immani & nefando ſcelere, aduerte queſo, quantò ſceleratiora proruperunt: conſidera, quantæ ſordes emanarunt. Propter quod, inquit, tradidit illos in deſideria cordis eorum, in immũditiam. Quid eſt hoc? Tradidit eos, id eſt, quos gratia ſua indignos cæleſti præſidio nõ iuuabat, eos ſuis ipſorum cupiditatibus indulgere, ſuas cogitationes cõplere ſinit, ſicut & per Prophetam præloquutus fuerat, dicens: Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael nõ intendit mihi: & dimiſi eos ſecúdùm deſideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus ſuis. Quàm impurę & ignominioſę fuerint libidines, quibus deliqueſcebát, ipſe Apoſtolus proſequitur, & quid ſit tradi in cordis deſideria, explanat, ſcribens: Et ſicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniebant, repletos omni iniquitate & malitia. &c. Pſal. 80.

Sed dicit quiſpiam: Quorſum hæc? Vt doceamus, fœdum & funeſtum Schiſmatis peccatum ex alio ferè ſemper peccato progerminare ſolere. Nam cùm orthodoxæ Eccleſiæ Maieſtas parui ducitur, & quæ in Chriſti Eccleſia fiunt & adminiſtrátur, contemni incipiunt: tum quidem ex hoc

pietatis contemptu, aliud perniciosum impietatis germen protruditur, sensimque in ipsum Schismatis barathrum miseri contemptores prouoluuntur. Sed tamen ista deceptio & iniquitatis seductio in eis potissimùm valebit, qui charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent.

2. Thes. 2.

Ideo enim mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Consentiens verò, & concors totius populi Dei & catholicæ Ecclesię vox, veritas est. Est enim vox Spiritus sancti, qui habitare facit vnanimes in domo. Hanc vocē quicunq; reijciunt & aspernātur, veritatē Dei reijciunt. Nam Spiritus sanctus Deus est, & quia nō crediderunt veritati Dei, Schismatis & errorum iniquitati consenserunt. Nemo itaq; in tenebricosum Schismatis & discordiæ gurgustium inijcitur & incidit, nisi qui priùs claram & illustrem vnitatis ac concordiæ lucem auersatus fuerit. Ergo ex ijs cuique non planè cæcutienti perspicuum esse potest, ipsum atrocissimū Schismatis vicus ex Sathana & malignitate nasci solere. Cæterùm ne quid obscuritatis supersit, ipsum Schisma primùm quasi in mēbra & partes distribuemus. deinde quę Schismata ex quibus originibus emerserunt,

Quosnam permittat Deus in Schisma incidere.

runt docebimus, atque singulis membris vnum aut plura exempla vel ex ipsis Scripturis, vel ex antiquis & veracibus Historijs adijciemus, quò res illustrari possit.

Prima igitur Schismatis hęc haberi poterit partitio, vt aliud simplex, aliud mixtum appelletur. Simplex aũt schisma vocamus, quádo Ecclesiastica vnitas rũpitur, & tamẽ nullum profanũ & adulterinũ dogma docetur. Eiusmodi cõplura sępe extiterunt, vt illud Chore, Dathan & Abyron, vt illud Oziæ regis, vt illud Saulis, qui sacerdotalia sibi munera tantùm arrogabant, nullam autem impiam & falsam doctrinam tradebant. Sic in Ecclesia Christi cõtra Damasum Vrcisinus Diaconus, contra Symmachum Laurentius presbyter, schismaticè ordinatus est, absque vlla hæreseos nota aut labe. Sic Eustachiani & Melitiani seorsum colligabantur, & inter se dissidebant per discordiam schismatis, cùm vtrique orthodoxæ fidei tenaces existerent. Erat, inquit Theodoretus, vtriusque partis vna eademque fidei confessio, quod ambæ propugnarent Nicænam doctrinam: sola autem contentione & Præsulum studijs disiungebátur. Neque alterius sanè morte dissidiũ extingui potuit. Similiter & Donatistæ primò propter Cęcilianum, Carthagini cõtra suá

Simplex schisma quodnam sit?

Num.16. 2.Para.26. 1.Reg.15.

Platina in vita Damasi & Simmachi

Theodor. lib.3.cap.4 Basil. ep. 48. ad Athan.

August. de hæres. 69.

voluntatem ordinatum Epiſcopum, ſchiſma fecerunt, obijcientes illi crimina non probata: ijdem tamen poſtea pertinaci & animoſa diſſenſione Schiſma in hæreſim verterunt. Simplex itaque Schiſma dici poterit, quoties per ſimultatem & diſcordiam vnitas diſcinditur, ſed tamen nullum falſum & fictũ dogma proponitur. de quo pręclarè D. Hieronymus: In filijs Ammó, qui interpretatur populus mœroris, vel populus me⁹, Schiſmaticos accipimus qui ſeparant quidem deceptam multitudinem ab Eccleſia Dei, & rudes animas, quæ nuper Chriſti concepêre ſermonem, abrumpunt & diuidunt: tamen hoc non faciunt crudelitate, qua hæretici deceptos quoſq; trucidant, ſed in eadem regula fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos ſuos, & nomen gloriæ in poſteros mittere.

In cap. 1. Amos.

Mixtum autem Schiſma id eſſe putatur, quo non ſolùm Eccleſiæ colligatio diſsipatur, & pax Chriſtiano & concordi populo Dei excutitur, ſed venenata quoque ac pernicioſa errorum plantaria inſeruntur, funeſtæq; Hæreſes, & impiæ importantur doctrinæ. Iſtiuſmodi fuerat Hieroboam Regis à reliquis Iſraelitis eruptio, quę hęreticorum & ſchiſmaticorũ, vt D. Proſper ait, oſtentat figuram, donec ille, qui vnitatẽ facit, & diligit alias oues quas habet extra

ouile

ouile ſuum, ſua gratia illuſtrante adducat, vt ſicut promittere dignatus eſt, ſit vnus grex, & vnus Paſtor. Nam non ſolùm auocabat populum ab eo cultu, quem Deus inſtituerat, & ab eo loco, in quo Dominus ſe inuocari præceperat, ſed diuerſam religionis formam excogitauit, excelſa extruxit, aliud ſacerdotium ex ijs, qui non erant de filijs Aaron, cõfinxit, vitulos aureos erexit, atq; profanam Idololatriam omnibus modis conſtabiliuit, de infima plebis fœce (ſicut ſacra Hiſtoria refert) atque de extremis populi, Sacerdotes excelſorum conſtituens. Iſtiuſmodi quoque fuit Sadducæorum, qui carnis reſurrectionem negabant, ſeceſsio. Multa quoque huius generis Schiſmata in Chriſti Eccleſia emerſerunt. Simon quidem Magus primus omnium, quod legimus, non ſolùm vnitatem Eccleſiaſticam dilacerauit, ſed & falſæ doctrinæ ſectam ſuî ſequacem cõdidit, Deũ aſſerens totius impietatis fontem & impulſorem exiſtere. Multi autem deinde Sathanæ ſuaſu & impulſu, mixto illo & exitioſo diſsidij & ſchiſmatis veneno, Chriſti Sponſam conficere, & à ſui Sponſi complexu auellere conati ſunt. Huiuſmodi ſunt plerunq; omnia, quibus fidelis Chriſti Grex dilaceratur & diſpergitur, noſtræ ætatis Schiſmata, vt Bohemicum,

3. Reg. 13. & 12.
Proſper de promiſs. & prædictionibus Dei par. 2. c. 28.
3. Reg. 13.
3. Reg. 12.
Actor. 23.
Luc. 20.
Vincent. Lirinent. cõt. prof.

Lutheranum, Anabaptiſticum, Caluinianum, Anglicum: de quibus vt quodque & primò eruperit, & deinceps increuerit, quibuſque adminiculis fotum ſit & propagatum, etſi nemini obſcurum eſſe poſsit, tamen ſuo à nobis loco, cum tempeſtiua ſe opportunitas obtulerit, diſſeretur.

Iam verò quod hoc loco propriè inſtituimus, id agamus: nempe alias, ſi quæ fortè ad perſpicuitatem cauſæ accommodari poſsint, partitiones adnectamus. Atq; imprimis illa ſuccurrit, quòd quæque ſchiſmatica diuiſio, tam ſimplex, quàm mixta, vel ſit adulterini Capitis, aut Capitum cõtra verum & germanum Caput, vel ipſorum inter ſe membrorum colliſio. Nam in omnibus his ſpeciebus comperiuntur tam ſimplicis, quàm mixti Schiſmatis nõ pauca exempla. Neque enim ſolùm Schiſma creatur, quando Caput cum Capite, adumbratum & fictum cum vero, ſed etiam quando corporis membra aut cum ſuo Capite, aut inter ſe mutuò colluctantur & pugnant. Horum quidem exempla ſunt in promptu nimis multa. Nouatianus cõtra ſanctiſsimum Chriſti Martyrem Cornelium ſe ſuperbè ac petulanter venditauit, dum & primam Sedem, quã Cornelius legitimè ordinatus tenebat, frau-

fraudulenter inuadere, & malignum atque inuidiosum, de lapsis per pœnitētiam non recipiendis ad veniam, dogma diuulgare pergeret. Non itaque tantùm Schismatis author fuit, sed & deprauatæ doctrinæ atque hæreseos, dum ipse se fictis & callidis artificijs in eminentissimum totius Ecclesiæ Gubernaculum, contra verum Pastorem & Ducem ingereret, atque adeo Pseudepiscopus vero & germano Petri successori resisteret: neque id solùm, sed peruersæ & exitiosę sectæ architectus existeret. Mixto itaque Schismatis genere, Caput à Capite, id est, personatum & adulterinum, à syncero & genuino eo tēpore dissidebat. At verò postea simplici schismate inter se de Pontificatu decertabant Bonifacius, & Eulalius. vterque enim orthodoxę & sanæ doctrinæ ac fidei, constantes erāt professores. Cæterùm ea simultate Honorij optimi Principis authoritate dirempta & pace constituta, Eulalius in Campania Episcopus est factus. Atque in ijs Caput cum Capite vel mixto, vel simplici Schismate, depugnabat.

Eufeb. l. 6. cap. 33.

Platina in vita Bonifacij.

Secundi vero membri, nempe quando corporis quædam partes à Capite disiungūtur, illa sunt exempla notissima, quibus hodie Christi Sponsa dilaniatur Ecclesia.

Exempla secundi mēbri secūdæ partitionis

Caluinus namque bonam Galliæ partem
ab Apostolico Sacerdotio in suam nefan-
dam sectam mixto Schismatis genere per-
traxit. At Henricus Octauus Anglię Rex
simplici quidem Schismate ab obedientia
summi Pontificis primùm recessit. Mem-
bra verò ipsa inter se sæpè varijs offen-
sionibus committuntur, atque ab inuicem
secedunt, sicut optimo Episcopo Eusta-
chio per calumniam circumuento & ex-
pulso, multi quidem pij sacerdotes, & alij,
apud se conueniebant, & à reliquo grege
segregabantur. Lucifer item, quod sua or-
dinatio, qua Paulinum Antiochiæ præfe-
cerat, minus probaretur, ab Ecclesiastica
se communione præcîdit.

Tertium membrũ & eius exemplum. Tripartit. histor. li. 2. cap. 26. Tripart. histor lib. 6. cap. 26.

Ex his autem manifestum est, Schisma
gigni posse, non solùm quando Caput fu-
catum cum vero & legitimo Capite digla-
diatur, aut quando membra à Capite ab-
ripiuntur, sed & quando ipsa inuicẽ mem-
bra confligunt, atque in factiones distra-
hũtur. Nunc autem nõ erit alienum, ipsas
singulas scaturigines, è quibus lutulenti &
cœnosi hi schismatum gurgites fluere &
dimanare cõsueuerũt, accuratius peruesti
gare & aperire, vt cũ è quibus initijs pro-
dierint viderimus, rationem vitandi ac de-
clinandi tam tetri contagij facilius inue-
niamus. Superius autem demonstratum
est,

eſt, nullum Schiſma oriri, niſi aut ex charitate langueſcente, aut per fraternum odiũ penitùs extincta. Nunc verò experiemur, eas particulatim venulas retegere & nudare, quibus charitas refrigeratur, & è quibus Schiſmatis odioſum portentum enaſcitur. Atque licet aliquoties plures iſtiuſmodi vnius alicuius Schiſmatis cauſæ & fomites reperiri poſsint, nos tamẽ perſpicuitatis gratia ipſas ſeorſum & ſigillatim cum ſuis exemplis enumerabimus. Origo ſchiſmatis in ſpecie.

Chriſti Apoſtolus & Euangeliſta ſcripſit. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo: quoniã omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcẽtia oculorũ, & ſuperbia vitę. Quibus vocibus videtur quaſi particulatim enumerare ea impedimẽta, quibus charitas Dei profligatur & pellitur. Nã amor mũdi & Dei ſimul cohæreſcere nequeũt. Amicitia enim huius mũdi inimica eſt Dei, & qui diligit mundũ, aut ea quæ in mũdo ſunt, charitate Dei deſtitutus eſt. Atqui mũdanus amor in hæc tria capita ab Apoſtolo cõmemorata recidit. Nam aut ad cõcupiſcentiam carnis, aut ad cõcupiſcentiam oculorum, aut ad faſtum & ſuperbiã vitæ pertinet. Habemus itaque primas quaſi ſcaturigines, è quibus poſteaquam cha-

i. Ioan. 2.

Iacob. 4. 1. Iohan. 2.

charitas Dei & proximi fuerit diluta, Schismatis & dissidiorũ immensæ inundationes profluũt. Sed quoniam è singulis riui quidam diducuntur, ipsos quoq; riuulos persequamur.

Atque vt ab eo, quod est postremo loco positũ ordiamur, quoniam totius impietatis radix est superbia vitæ, plures quidẽ pestilentissimos ramulos ex se progerminantes habet, qui quidem singuli satis validi sunt ad progignẽda schismata, ex ijsq; sæpè complures grauissimæ & perniciosissimæ sectiones pullularunt. Eius verò species connumerari possunt Κενοδοξία, Φιλοτιμία, & Φιλονεικία, è quibus singulis sæpè turbulentissimæ tempestates in Ecclesia Dei subortæ sunt Κενοδοξία autem est, quando quis vel vana suì opinione inflatus, de se sentit suprà quàm oportet de se sentire, vel etiã quæ nequiter designauit, non solùm occultare, sed specioso aliquo fuco colorare nititur, sic vt de ijs rebus glorietur, de quibus erubescere oporteret. Huius autem stimulis multi sæpè adducti fuerunt ad sectas & schismata. Nam cùm superciliosus ipsorum tumor & elata mens populo Dei & Ecclesiæ Christi probari nõ possit, idq; ipsimet perspiciant: foras prouolant, atque seorsim Discipulos colligunt, quibus sui sensus &

Rom. 12.

cere-

cerebri somnia persuadere se posse putát.

Hoc morbo iam olim Vigilantius correptus, contra Sanctorum Reliquias multa contumeliosè effutiuit. Cuius importunum & insulsum latratū sanctus Presbyter Hieronymus summa cum grauitate & eloquentia compescuit.

Hier. cont. Vigilant.

Hoc œstro percitus Aëtius ille, qui ἄθεος est cognominatus, ex opificio prosiluit, non solum ad scholas, vt alios audiret, sed ad Cathedram quoque, vt errores perniciosissimos disseminaret. Filium enim per omnia Patri dissimilem esse, argutabatur & astruebat.

In catalo. hæreс. adiecto ad Eunob. & tripart. hist.

Origenes quoque ingenij viribus valens, doctrinæ opibus excellens, & insigni ac vberrima quadam facundia præpotens, sicut Vincentius scribit, dum gratia insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibiq́; satis credit, dumq́ue paruipendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones & veterum magisteria cōtemnens, quędā Scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit vt de se quoq; diceretur: Si surrexerit in medio tui Propheta. Et paulò pòst: Non audies, inquit, verba Prophetę illius, quia tentat vos Dominus Deus vester, vtrùm diligatis ipsum, an non: atque istiusmodi inanis gloriæ acu-

August. ad Quodvult. Hær. 54.

Lib. cōtra profanas nouit.

Deutr. 13.

aculeis instigatus, sectæ nouæ architectus fuit & author, quę dicitur Origenistarum. Similiter & Nestorij iactabunda elatio atque scelerata Φιλαυτία, qua se solùm & primùm sacram Scripturam intelligere, reliquos verò omnes ignorasse iactabat, quicunque ante se magisterij munere præditi sacra eloquia tractauissent, vniuersos scilicet Sacerdotes, vniuersos Confessores & Martyres, quorum alij explanassent Dei Legem, alij verò explanantibus consensissent, vel credidissent, totam postremò errasse semper & etiamnũ errare Ecclesiam, scelerato ac nefando schismati fenestrá patefecit. Donatus etiã (à quo Donatistę vocati sunt, & qui hoẽs per se iurare passus est tanquã per Deũ) ausus est populũ cũ Deo diuidere, vt qui illũ secuti sunt, iã nõ Christiani, sed Donatistæ vocarẽtur. Item: Habitabat in domo Dei, & erat in corde maris. Vbique mare seculũ legimus, cùm esset ipse non tantùm in amore aliquorum Christianorum, sed propter scientiam mũdanarũ literarũ erat etiam in corde maris, id est, in amore seculi: sed & de scientia sua sapiens sibi visus est.

Secta origenistarum.

Nestorius.

Ac ne tantùm veteres attingamus, quid aliud, obsecro, Caluinum impulit, vt tam à Lutheranis & reliquis Sectis, quàm à Catholicis in pluribus dissentiret,

Caluinus φιλαυτός

nisi

nisi κενοδοξία & amor sui? Qui cùm ingenium sibi acutum satis, nec mediocrem eloquentiam, qua suos ipse fœtus insigniter perpoliret, nō deesse animaduerteret, voluit sibi grande nomen parare, eò audaciæ & amentiæ progressus, vt non tam sectam condere, quàm Turcismum quẽdam meditari videatur. Neque verò in tantam & tam impuram cæcitatis & impietatis voraginem vlla re magis, quàm Φιλαυτία & inanis gloriolæ aucupio pręcipatus est.

Sunt quoque, qui, vt sua probra tegant, Schismata & turbas concitant, quod quidem est altera κενοδοξίας pars. Sic olim Theodotion Christum hominem tantùm astruebat, propterea quòd in persequutione lapsus, sicut Augustinus scribit, isto modo casus sui se opprobriũ vitare posse putabat, si non Deum negasse, sed hominem videretur. Nec dissimile sanè fuit Helchesais, à quo Helchesaitæ dicti sunt, consiliũ, qui vt suum & sequacium suorum vel imbellem ignauiam, vel impiam proditionẽ & apostasiam aliquo specioso fuco coloraret, docuit, fidem in persecutione absque peccato negari posse, sceleratam impietatem sceleratiore integumento inuoluere & operire gestiens, ne scilicet sui lapsus & exitiosæ ruinæ dedecus & probrum sustineret. Ad eundem modum pleriq; nostræ

2. Pars κενοδοξίας.

August. ad Quodvul. Hær. 33.

Euseb. hist. Eccles. l. 6. cap 28.

ætatis

ætatis homines voluptarij, quò impurissimas suas scortationes & incæstas libidines & ineptias splendido, vt arbitrantur, operculo contegant, vota castitatis & obedientiæ non seruanda, neminemque pudicè & castè viuere posse, asseuerant, veritatem Dei in mendacium conuertentes, & nequissimas suas voluptates nequioribus hæresibus adumbrare cupiétes. Quod quidem ipsum propter κενοδοξίαν faciunt mixtoque schismate sese implicant.

Sequitur, vt cùm satis accuratè hunc articulum delineauerimus, atque aliquot exẽplis, quàm turbidæ ex hoc fonte aquæ scaturiant, demonstrauerimus: ad proximum superbię ramulum progrediamur.

Secundus ramus superbiæ ambitio.

Is verò φιλοτιμία & Honoris appetitio dicitur, qua quidẽ plerique illustres viri, & cùm pietate singulari, tùm excellenti doctrina clari, inflammati maximas sæpe turbas Ecclesiæ Christi peperêre. Quum enim ambitione & dignitatis splendore mentes fascinantur, rationis quidem iudicium euertitur, intelligentiæ lumen occęcatur, animusq; totus omnibus neruis atque viribus in hoc incumbit, vt præfici possit, & eminentiori loco potiatur. Hinc efficitur, vt odio illos prosequantur, qui sunt apti & idonei ad illud munus, quod ipsi expetunt, obeundum, eosdemque male-

maledictis figere, & calumnijs conentur deformare, & si quando repulsam tulerint, altero sibi prelato vt grauissima discordiarum incendia excitent, nihilq; eorum prætermittant, quæ ad dolorem suũ vindicandum spectant. Non immeritò itaque miserrima vel etiam Ethnicis est habita ambitio & honoris contentio, de qua præclarè est apud Platonem: Similiter eos facere, qui inter se contenderent, vter potius Rempub. administraret, vt si nautæ certarent, quis eorum potissimùm gubernaret. Apud Cic. lib. 1. offic.

Ac si tantopere apud externos Philosophos Φιλαρχία reprehensa sit, quid sentiendum est de illis, qui in Christi Ecclesia (in qua Spiritus sancti ductu & afflatu oĩa administrantur) id quidem ambitione, pecunia & alijs malis artibus quærunt, quod dono Dei & instinctu Spiritus sancti donari debet? Cõtumeliosi profectò & rebelles in spiritũ Dei existimari poterũt, & Simonis Magi potius, q̃uá Christi Domini Discipuli. Male se res habet (scripsit quidá prophanus Philosophus) quando quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Pessimè itaque se res habet, cum quòd à Spiritu Christi prestari oportet, id ambitu emptisq; hominum sententijs & suffragijs cõparatur. Nemo, inquit Apostolus, Heb 5. sibi

ſibi ſumat honoré, ſed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. Et Apoſtolus alloquens, Actor 20. dicit eos à Spiritu ſancto conſtitutos eſſe, vt regant Eccleſiam Dei. At qui vel precariò, vel pretio Præfecturam ambiunt, ipſi contra Apoſtoli præceptum, non tam honorem ſibi ſumũt, quàm ſeſe illicitè ingerunt, non à Spiritu ſancto poſiti, ſed callidis & flagitioſis machinationibus ad Eccleſiæ regimen prouecti.

Sed iam eſt explicandum, qui homines, & quanti, hac Principatus cupiditate (quę in maximis animis ſplendidiſsimiſque ingenijs facillimè innaſcitur) demẽtati, grauiſsimis diſsidiorũ turbinibus Eccleſiam Christi concuſſerunt. Arius ille, cuius funeſta peſtis totum orbem peragrauit, & Arius. per omnes Prouincias ac Regiones peruagata eſt, idcirco tanti incendij ignẽ concitauit, quòd Alexandrum in Epiſcopali dignitate ſibi præpoſitum eſſe cerneret. Nam cùm eſſet, vt Theodoretus ait, in cœtu & ordine presbyterorum, haberetque authoritatem interpretandi Diuinas Scripturas, cùm videret gubernaculum Sacerdotij commiſſum eſſe Alexandro, impatiens inuidię, qua agitabatur, ſtimulorum, quęrere cœpit diſcordię & pugnarum occaſiones. Et quamuis omnium calumniarum telam perrumperet viri dignitas & lau-

Schiſmata in Eccleſia orta ex ambitione. Theod. lib. 5. c. 2.

laudabilis administratio, tamen quiescere eum inuidia non sinebat. Hunc igitur nactus hostis veritatis, Ecclesiæ vndas per ipsum mouit & concitauit, impulitque vt palam Apostolicæ Alexandri doctrinę refragari auderet. En vides, Christiane Lector, è qua origine illa immensa fax, qua totus orbis postea conflagrauit, primùm sit incensa. Atque aduerte, quæso, Arrium diuina & cœlesti gratia ad sacrum ordinē Presbyterij aspirasse Ecclesiasticis & legitimis rationibus. Postea verò, quia diuinitus non fuerat ad Præsulatum euocatus, gratiæ Dei, qua superiorem gradum obtinuerat, fuisse ingratum, voluisseque se per ambitum in Sedem intrudere Episcopalē. Tandē verò, quando inauspicati illius conatus parum fœliciter successissent, cōtra Christi electum Præsulem calumniando, in profundum Schismatis & funestissimæ ac Antichristianissimæ hæreseos puteum, Dæmone instigante, fuisse prolapsum.

Ingratitudo Arrij erga Deū, & eius ambitio.

Annon hic videtur alter Chore? Nam sicut ille Leuita, sic & iste presbyter legitimo Pontifici aduersatus est, & cōtra eam, quam Spiritus sanctus fecerat & firmarat, ordinationem vterque turbas & seditiones concitauit.

Num. 16. Comparatio schismatis Arij cum schismate Chore.

Sic in Romana Ecclesia cōtra Symmachum Laurentius ambitiosè est electus per

2. Exemplum.

Anaſtaſij hæretici Imperatoris pecuniariã corruptelam. Qui, ſicut Nicephorus recitat, Feſtum Romam miſit, vt largitionibus ac muneribus quoſdam corrumperet, vt in locum defuncti Anaſtaſij Laurétium quendam eligerent. At orthodoxi Symmachũ vnum ex Diaconis conſecrauerunt. Hinc ergo turbationes multæ, & hominum ſtrages, ac rapinæ patratæ ſunt per annos tres. Deſiderij quoq; Regis Lõgobardorum ſuaſu & hortatu Tottõ Nepeſinus Dux fratrem ſuum Cõſtantinum laicum ad Pontificatum largitione & violẽtia promouet. Nam, ſicut Platina refert is Romam cum exercitu profectus, Conſtantinum fauentibus quibuſdam amicis, largitione & pollicitationibus corruptis, Pontificem creat. Cogitur & Gregorius Prẹneſtinus Epiſcopus, Conſtantinum ipſum laicũ ſacris ſtatim initiare, atq; Epiſcopũ inungere. Cuius manus ita ob eam rem exaruiſſe miraculo dicuntur, vt eas ori admouere non poſſet. Cùm verò Conſtantinus munera Pontificatus per annum obſtinatè exercuiſſet, tandem è Sede deijcitur à populo Romano, ira & indignitate percito, in eiuſque locum omnium ſuffragijs Stephanus tertius ſufficitur. Ecce, vides, quo pacto ſanctam Sedem per vim & corruptelam laicus inuaſerit, & quomodo

Nicephor. Eccl. Hiſt. lib. 16. c. 35. Platina in vita Symmachi. 9. hoc. ſum ſchiſmatis ex ambitione orti In vita Stephani. 3.

Miraculũ in adſtipulatores ſchiſmatis factum.

do Deus Prænestini Episcopi temeritatē vltus fuerit, qui indigno manus imponere, & sacram vnctionis consecrationem impartiri non formidauit.

Hæc eadem insatiabilis præsidendi cupiditas Christophorū impulit, vt armis & factionibus, familiari suo Leoni quinto in vincula coniecto, Sedem Petri occuparet. Sed diu ista sua nequitia non fruitur. Nam Pontificatum, quem fraude & vi adeptus fuerat, postea deponere, & se in Monasterium abdere coactus est. Quantas verò calamitates Populo Romano inuexit violenta illa & ambitiosa Iohannis 12. hominis probris & turpitudine contaminati, in Sedem Apostolicam irruptio, quádo patris sui potentia fretus, Pontificium munus suis humeris nequaquam conueniens assumpsit? Cuius violentam & petulantem tyrannidem Otho Imperator, Cardinalium rogatu Concilio coacto, repressit: sed tamen inauspicatum & temerarium illud incæptum non sine ingenti clade conibitum est. Nec minores tempestates concitauit Bonifacij septimi nefaria audacia, qui Pontificatum malis artibus acquisitum, crudelitateque ac sanctorum templorum direptione retentū, turpi morte vitá cōmutans, tandem male amittit. Iohánes quoq; pecuniosus ac locuples,

4. Exempl. schismatis ex ambitione. Platina in vita Leonis 5.

5. Platina in vita Ioannis. 12.

Platina in vita Ioan. 12. Bened. 5. Leon. 8.

6.

7.

Crescentij Consulis fauore ac potestate fretus, Gregorio quinto seditionibus pulso, Sedem Apostolicam parum legitimè inuadit. Sed sceleratus iste ausus infœlicē exitū habuit. Nam Crescentius postea à multitudine confossus, Iohannes verò effossis prius oculis, Pontificatu simul & vita priuatur.

Platina in in vita Gregor. 5

8. Similiter Benedictus decimus, factione quorundam Nobilium, per vim & largitionem ad Pontificatum peruenit. Verùm postea Nicolao secundo legitimè creato & consecrato cessit, & Pontificatu decedit. Quis explicare poterit, quas cædes & calamitates Schismatica Cadoli contra Alexandrum 2. contentio ediderit, quantasque turbas & seditiones cōmouerit?

9.

Atque hæc quidem propè vniuersa quæ cōmemorauimus Schismata, in ipsa Matrice Ecclesia Christianæ vnitatis vindice ac custode, & ipso concordię fonte per ambitionis & Philarchię insanas furias, Sathan excitauit. Et si tantum potuit turbarum in ipsam vnitatis originem inferre ambitiosa Imperij & Dignitatis cupiditas: in alijs verò cœtibus quid non valebit, quas tempestates non concitabit?

à Minori.

Ex hac pestilēti ambitionis radice (cùm Ecclesia Christi virgo nondum adulterini verbi subreptione cōstupraretur) tragicus quidā tumultus, sicut ex Egesippo refert Euse-

Eusebius, per Theobutem quendam exci- Euseb. Eccles.hist.
tatus est, qui quòd Episcopatus repulsam l.4.ca.22.
fuisset perpessus, omnia perturbare & cor-
rumpere cœpit. Montanus etiam nimia 11.
Primatus cupididate accensus, noua quę-
dam & diuersa ab ijs, quæ ex successione
Maiorum Ecclesiæ tradita fuerant, velut
prophetali spiritu promit, eandemq́ue illi
spiritus Antichristi malignus elationem & Eusebius
superbiam inspirauit, quam hodierno die Eccles.hist.
ijs, qui Ecclesiam sectis dilacerant, inspi- l.5.cap.16.
rat: adeo vt doceret, vniuersam quæ per
orbem est Ecclesiam blasphemare, & non
solùm nihil ei deferre reuerentiæ, sed nec
limen eius quidem attingere. Aërius quo- 12.
que impotenter ferens repulsæ suæ igno-
miniam, à Catholica Cócione ad Arianis-
mum desciuit. Nam, sicut Augustinus ait,
is cũ presbyter esset, doluisse fertur, quòd ad Quodvultd.
Episcopus non potuit ordinari, & in Aria- hæres.53.
norum hæresim lapsus, propria quoq; do-
gmata addidisse nonnulla, dicens, orare
vel offerre pro mortuis oblationem non
oportere, nec statuta solenniter seruanda
esse ieiunia, sed cum quisque voluerit, ie-
iunandum. Dicebat etiam, presbyterum
ab Episcopo nulla differentia debere dis-
cerni. Atque hę tantæ turbę ac dissensionũ
& sectarum phalanges in concordẽ Chri-
sti gregem importatæ sunt per effrænem

illam præsidendi ac dominandi libidinem, quam φιλοτιμίαν appellamus. Nihil enim est, ait Chrysostomus, quod Ecclesiá ita diuellere queat, atque ambitio dominandi. Maximè etenim adducuntur plerique, vt eos iustitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, gloriçue cupiditatem inciderint, sicut Ethnicus ille egregiè & sapienter scripsit. In maximis autem, vt suprà dixi, animis splendidissimisq; ingenijs, imò & in Dei Sacerdotibus hçc pestis potissimũ innascitur: quò fit, vt ex ea grauiores & turbulentiores in Ecclesia motus efficiantur, vt non sine summa ratione Hieronymus scripsisse videatur: Veteres, inquiens, scrutás historias inuenire nõ possum, scidisse Ecclesiá, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes à Deo positi fuerant & Prophetç, id est, speculatores. Quocirca magis est cauendum, ne quid eo in genere peccetur.

Homil. 11. in 4. c. ad Ephes.

Illa sunt schismata maxima, quæ sunt ex Ambitione.

Hier. in c. 9. Osee.

Sequitur iá, vt tertiũ illud huius partis caput aperiam. Id verò dicitur φιλονεικία id est, pertinax & obstinata contentio, quç iracúdię facibus incensa, citò in immẽsum incendiũ augescit. Nam cùm semel pugná & certamen inierit, fas sibi non esse ducit, aut retrocedere, aut mollescere & mitigari: ac propterea animoso quodá furore, nõ tá irritatus, quàm insaniens, in qua semel

3. Membrũ superbiæ, contentionis studiũ, & q̃ ex eo schismata oriuntur.

cœpe-

cœperit causa, siue iusta, siue iniusta: siue vera, siue falsa ac ficta, maxima animi obstinatione persistit. vnde non solùm ansas dissidiorum ac rixarum arripit, qui Φιλονεικίᾳ pungitur, verùmetiã quaslibet occasiones semel arreptas mordicus retinet, easdemque summa cũ exaggeratione amplificat, & non prius desinit à sententia, quàm impetus & cupiditatis suæ libidiné aliquatenus expleuerit. Ita vt verè, & ad hanc rem, de qua agitur, accommodatè scripserit Optatus, Factioné esse matrem Schismatis. Quicunque igitur turbulenta & incoërcibili hac amentia aguntur, aptissima sunt Sathanæ mancipia, per quorum indefessam operam simultatum ac dissordiarum segetem vberrimam serat, de quibus dixit Spiritus sanctus: Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittitur contra eum. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo cõfidenti sibi in stultitia sua. An potuit magis viuidè eorũ mores depingere, qui contentiosè contra sanã doctrinã perbacchãtur? Annon, tanquàm scarabæi, fimo ac stercore, aut tanquam muscæ carniuoræ, vlceribus pascuntur & gaudent? Quis id non videt, qui eorum petulantes ac maledicas inuectiuas, qui contumeliosa eorum scripta ac dicta vel legerit, vel audiuerit?

Lib. 2.

Prouer. 17.

Similitudo in contentiosos, qui amant lites.

Nônne inuidiosè singula orthodoxorum cogitata expiſcantur, explorát, atq; ad contumeliá calũniosè rapiunt & detorquent? Nónne, vbi nihil vlceris, nihil nó ſanũ cõperiunt, ſæpius mordẽdo, & venenatos aculeos infigendo, quaſi vlceroſum aliquid & ſanioſum elicere & exugere conantur?

Iſtorum ergo indomita & inflexibilis peruicacia, non legibus, non iudicijs, non pœnis & ſupplicijs vinci & coërceri debet? De quibus apud Sapientem ſanè re-
Prou. 17. ctè ſcriptum eſt: Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum. Nam ſicut fluminis inundátis impetus, ſi molé aggeris ſibi oppoſitá vel tenui rimula perruperit, illico maiorem hiatum ac rupturam efficit, tantoq; vndarum cumulo illuc prouoluitur, vt iá cohiberi nequeat: ſic cum per inſanam rixandi libidinem concordia rumpitur, & iurgiorum temulẽto gurgite pacis vinculum diſsipatur, tantum poſtea diſsidiorũ flumen inundat, vt ſiſti & coëceri non poſsit. Eò namque amentiæ contentionis ſtudio excæcati, præcipites aguntur, quicunque iſto poculo inebriati ſunt, vt verè in illos competat, quod eſt à Spiritu ſan-
Prou. 18. cto dictum: Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ipſius. Fruſtrà itaque cum huiuſmodi rixoſis ac pugnacibus omne certamen
ſuſ-

ſuſcipitur, niſi diuina gratia ipſorum rigidas mentes inflectere, & dura pectora dignetur mollire.

Sed ne hîc quoque exempla deſideres. Henricus Imperator Mauritium contra Gelaſium ſecundum Pſeudopontificem creat, idque vi ac armis, vero & legitimo Paſtore ad tempus profligato. Leo quoq; Fregepanis callidis & aſtutis artibus, Theobaldum quendam contra Honorium 2. deligendum procurat. Petrus quoque potentiſsimi ciuis filius, quorundam factioſorum ſeditionibus Romę contra Innocētium, tum quidem Italię negotijs componendis intentum & abſentem, Antipapa creatur & Anaſtaſius dicitur, qui ſpoliatis Templorū theſauris, immenſo auro, quod è ſacrilegio conflauerat, ciues Romanos in ſuas partes allicere ac pertrahere conatur. Nam largitionibus populi ſibi fauorē & animos conciliare ſtudebat.

1 Exemplū ſchiſmatis ex contentionis & vincendi ſtudio. Platina in vita Gel. 2. 2. Exemplum. In vita Honorij 2. 3. Exēplū. In vita Innocentij 2.

Neque verò illud fuit leue diſsidiū aut contemnendum ſchiſma, quod cōtentione ac pertinaci Octauiani ſeditione eſt contra Alexandrum tertium concitatum. Cuius turbulentos conatus cùm Fridericus Imperator aleret ac promoueret, iuſto Pōtificis anathemate notatus eſt. Sed tamen ne ſic quidem furioſi & iracundi Imperatoris aut malignus aſſultus retardari, aut odium

4. Exemplum.

odiũ potuit restingui. Nam magnis copijs comparatis, Italiam diripere ac vastare, Pontificemq́ue perimere, aut Sede & dignitate deijcere statuit. Neq; certè incêtus illius furor Octauiani morte aut sedatur, aut sanatur. Nam Guidonem quendam illius loco, postea verò Iohannem furto etiam infamem, sufficit & subornat, vt vero Pontifici molestias facesseret, orbemq́; Christianum nefando Schismatis dissidio dilaceraret. Tanta erat tamq́ue implacabilis superbi & præferocis hominis cõtumacia. Neque certè prius hanc animosam cõtentionem depoluit, quàm aduersis prælijs attritus, & magnis difficultatibus esset implicatus, adeò vt illius Proceres id ei accidisse arbitrati, quòd Ecclesiam Dei persequeretur, se in patriã redituros minarentur, omissa tam iniqua militia, ni properè cũ Pontifice in gratiam rediret. Bauarus quoq; Ludouicus dum omnia in Italia tur-

5. Exemp. bat ac depopulatur, Sacris à Pontifice interdicitur, tum quidẽ in Gallia agẽte. Cęterũm pòst Romã cũ magno equitatu profectus, à Stephano Columna coronatur. Is verò contra Põtificem, à quo anathematisatus fuerat, excandescens, Petrum quendã Corbariensem Pseudopontificẽ creat Ioan. 22. æmulum. Sic solet semper pertinax illa concertatio in Schisma erumpere.

Platina in vita Iohãnis 22.

Sed

Sed & immanisſimum, & maximè diu- Plat. In vi-
turnū, ac perniciosum totius Reipub. Chri ta Vrb. 6.
ſtianæ Schiſma ſub Vrbano 6. qui primus 6. Exemp.
poſt Gregorium vndecimum Auenione Romam reuerſum, Sedi Apoſtolicę in ipſa vrbe creatus præfuit, à quibuſdam ſeditioſis ac turbulentis Cardinalibus fuit excitatum. Qui quidem ſola Φιλονεικίᾳ incenſi & exagitati, cōtra Vrbanum, quem ipſimet confirmarant, iccirco commouebantur, quòd is eoſdem ſemel & iterum ad ſe vocatos ſeuerè ac grauiter corripuiſſet, hortatuſque eſſet, vt manus haberent abſtinentes, nec dona aut munera à quoquam accciperent, dum cauſas inopum agerent, & petentibus patrocinium præſtarent, minas etiam adhibēs, ſe grauiſsimas de illis pœnas ſumpturum, quos Bonus &
aut Simonia corrumpi, aut iniuſtas cau- pius Papa.
ſas prouehere deprehendiſſet. Pompam prçterea & immenſam illam familiarium & equorum turbam dimittendam præcipit, cùm id, quod in tales ſumptus Eccleſię Chriſti pernicioſos cōſumeretur, pauperibus potius & Baſilicis iam collabaſcentibus & ruinoſis reſarciendis deberetur. Quibus quidem ſanis conſilijs improbi quidam, qui ſuo proprio emolumento Religionis negotiū poſthabuerunt, Schiſma
irritati & excandeſcentes, primo quidem ortum, pro
ſe ſe-

pter piam admonitionem Papæ ad Cardinales.

se seorsim subducunt & segregant, postea verò Ioannæ Reginæ præsidio, Gebennẽsem Cardinalem Antipapam deligunt, cui Clementis 7. appellationem induunt. Hinc factum est, vt vniuersus orbis Christianus in Schismata & factiones distraheretur, dum alij hunc, alij illum pro vero Pontifice sequerentur & agnoscerent.

Immane verò fuerit commorare, quàm tragici tumultus, quàm turbulentæ tempestates, quantæ cædes, quanta vitæ ac morum corruptela, quanti malorum omniũ æstus & vertices ex hac origine in populũ Dei inundarint. Nam non solùm, viuente Vrbano & Clemente, hęc discordia gliscebat, sed vtrisque iam fato concedentibus & extinctis, inter Bonifacium nonum, qui in Vrbani locum omnium Cardinalium consensu Romæ creatus est, & Petrum Lunam, qui Schismaticorum Cardinaliũ calculis in adulterini Clementis Sedem, ipse quoque adulterinus, & Benedictus 13. appellatus sufficitur, eadem simultatis & dissensionis tempestas perdurauit. Neque tamen aliquot pòst annis, succedentibus Innocentio 7. Gregorio 12. & Alexandro 5. tanta tamque perniciosa infinitorũ malorum causa tolli & deleri potuit. Schisma enim illud longius protrahitur, dum alter Romę, alter Auenione Pontifex designa-

Maximum contentionis & vincendi studium in hoc exemplo elucet.

ſignatur. Cui malo conſopiendo cùm multi excellentes & eximij Præſules ac Cardinales, atq; etiã Chriſtiani Reges & Principes operã ſuã ſtrenuè nauarint, nõ prius quidã extingui potuit, licet Cardinalibus tam Gallicis quàm Italicis rei componẽdæ gratia Piſis conuenientibus, & vtrumque Pontificem, Gregorium ſcilicet 12. & Benedictum 13 vt qui colluderent nec pactis ſtarent, ſed initam cõcordię rationem fruſtrari conarentur cauſationibus ac dilationibus, dignitate Pontificia priuantibus (poſt illam enim exauthorationem vterque Pontifex Cardinales pergit creare) quàm Concilium eſt à Iohanne 12. Conſtantiæ indictum. In quo quidem Concilio ipſe Iohannes iuſtis de cauſis Pontificatu deiectus, ſententiam in ſe latam comprobat. Gregorius autem ſeſe abdicare cogitur. Benedictus verò Pontificio munere priuatur. Martinus quintus vir ſingularis & prudentiæ & pietatis, omnium concordantibus ſuffragijs tanta lætitia, vt prę gaudio vix homines loqui potuerint, Pontifex deligitur. Sicque tandem poſt annos quadraginta tam luctuoſi Schiſmatis ſublatum ſeminarium eſt.

Atque vt adhuc vnũ & alterum eiuſdẽ 7.
generis exemplum adiungam: Quid aliud Chriſtophorũ Scaplerum impulit, vt ruſticos

ſticos infauſtæ libertatis recuperandæ ſpe incenſos, contra legitimos Magiſtratus in grauiſsimam totius Germaniæ cladem & calamitatem armaret, niſi φιλονεικία?
8. Quid item Thomam Monetarium, qui inſulsè gloriabatur, ſibi reuelationes diuinitus factas, ſeque à Deo conſtitutum eſſe Christianę Religionis collapſæ vindicem & reſtauratorem, ſibíque Gedeonis gladium commiſſum ad impiorum tyrannidem euertendam, vt vulgi cohortes turmatim educeret, Nobiliū aulas diriperet, Monaſteria & bona Eccleſiaſtica cōpilaret, niſi improbæ φιλονεικίας & contentionis ardor? Quid item inſtigauit Hulri-
9. chum Zuinglium, vt Tigurinos contra vicinas ciuitates in ſuam & ſuorum perniciē (nam ipſemet primo conflictu peremptus eſt, Tugurini tribus prælijs fuſi ac ſuperati fuerunt) arma capere perſuaderet, niſi importuna & pertinax φιλονεικία? Quo ſpiritu agitatus fuit Theodorus Beza, cū Henricum ſuum Regem, quòd nocturnas ac promiſcuas virorum ac mulierum coitiones prohibuiſſet, inſidijs, maledictis & conuitijs appeteret? Annon ſpiritu diſſenſionis & diſcordiæ? Quid verò
10. ipſum Bezam cum ſuis coniuratis ſatellitibus inſtimulauit, vt tantos in Gallia hodie motus, tam cruentas innocentum cæ-

des, tam peſtifera & nefanda ciuilia bella agitare nõ reformidet? Annon ipſa Erynnis & feralis Bellona? Ac ne ſingula perſequar, quæ ſunt in hoc genere infinita, quo ſtimulo conciti inter ſe corrixantur & decertant Weſtphalus & Caluinus, Luterus & Zuinglius, Tilemanus Heshuſius, Boquin' Cleinwitzius, Martyr, & Brenti' infinitique alij, qui à veritate orthodoxa exciderunt, & pro ſuis ſomnijs ac cõmentis inter ſe digladiantur, niſi Φιλονεικίας? De quibus omnibus Apoſtolus claram apertamque ſententiã pronunciauit in ſua ad Romanos Epiſtola: Ijs, inquiens, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, ſed credunt iniquitati, ira & indignatio. Sed longius prouectus ſum. Et cùm iam patefactæ ſunt ſordidæ illæ ſentinæ, quæ ex impuriſsimo ſuperbiæ fonte defluentes, nefandiſsimas ſectas & diſciſsiones in Chriſti Eccleſiam profuderunt: ſequitur vt duo reliqua capita breuiter perſtringamus, quorũ alterũ cõcupiſcentia oculorum, alterum concupiſcentia carnis appellatur. Cap. 2.

Concupiſcentia oculorum infinitam & inſatiabilem opum, copiarum, facultatum & diuitiarum cupiditatem continet, cùm mens humana αὐτάρκεια & rerum ſufficientia non expletur, ſed immenſos the- Sedundum mẽbrum principale, ex quo ſchiſma oritur.

thesauri cumulos exaggerare, atque opum non necessariarum maxima congerie oculos solum pascere gestit, & Naturæ, quæ paucis contenta est, limites & iura transgreditur, inexplebilique φιλαργυρία, quæ est, vt Apostolus docet, radix omnium ma-
1.Tim.6. lorum, laxas habenas permittens: illius arbitrio vniuersa moderatur & agit. Hinc certè animus auri sacra fame tabescens, Apostolici consilij immemor efficitur, Diuinæque doctrinæ irreligiosus euadit contemptor.

Nam cùm Apostolus suadeat, vt habẽtes alimenta & quibus tegamur, ijs contenti simus: & doceat, quòd qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueũ diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitũ & perditionem: & Dominus ipse præcipiat, dicens: Nolite thesaurizare vobis the-
Matth. 6. sauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: thesaurisate autẽ vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur (vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum) isti, tam diuinis & salutaribus documentis spretis, cæca & effrẹnata habendi & plus semper acquirendi cupiditate inflammati, diuitias in multis quidem ratio-

rationibus accumulare, & thesauros in terra colligere & coaceruare, summo studio & indefessa opera pergunt. Quorũ quidẽ execrabilis diuitiarum sitis grauissima incommoda & mala profert, quando Rempublicam Christianam & Ecclesiam Christi quæstui habere volunt. Nam quod est olim pro oraculo inter Ethnicos celebratũ ἡ φιλοκρηματία σπάρταν ἕλοι ἄλλο δὲ οὐδέν, id nõ solùm in omni opulenta ciuitate, sed Christi quoq; Ecclesia, cui auaritia prohibetur, paupertas commendatur, locum habet. Grauia itaque Schismata aliquoties inter Christianos ob emolumenta & quæstum orta sunt.

Cuius generis memorabile exemplum extitit sub Gregorio septimo, qui, vt Platina de eo scribit, vir fuit Deo gratus, prudens, iustus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus, atque vnicus Romanæ Ecclesię fortissimus & acerrimus defensor contra hæreticorum improbitatem, & malorum Principum potẽtiã res Ecclesiasticas per vim occupare conantium, ac ob eam rem improbis & sceleratis hominibus, qui vel Ecclesiæ bona diripere, vel hæreses disseminare nituntur, maximè fuit odiosus. Hic itaque Gregorius cùm Pontificatum esset adeptus, Henricum Imperatorem admonet, ne

Gregor. 7.

1. Exempl. Schismatis ex concupiscentia culorum siue auaritia, orti.

Ex auaritia Henrici Imperatoris schiſma creatur.

deinceps largitione corruptus, Epiſcopatus & beneficia alicui per ſimoniacam cupiditatem committat: aliter ſe vſurum in eum & delinquentes, cenſuris Eccleſiaſticis.

His admonitionibus, & quidem ſanis, non modò non obtéperauit Henricus, ſed contumelioſa iniuria Agneti Imperatrici recta conſilienti illata, in turpi & nefario ſuo maleficio pertinax perdurauit. Gregorius itaq; Concilio Epiſcoporũ Lateranẽ coacto, omnes illos cenſura anathematis notauit, qui Epiſcopatus & beneficia largitionibus adepti fuerant. Gibertus autem Parmenſis Archiepiſcopus Rauennas qui ei Concilio interfuit, primò Cinciũ hominẽ temerarium & ſeditioſum, magna illi Imperatoris nomine pollicitus, cõtra Gregoriũ animat. Cincius nefario auſu Pontificẽ etiam tremenda ſacrificia offerentem, cum armatis ſatellitibus irrumpens, ab Altari nocte Domini Natali abripit. Quod cum populo Romano eſſet cognitum, ſequenti die iuſta quidem animaduerſione compreſſus eſt, & Pontifex vinculis liberatus. Ipſe autem Cincius fuga elapſus in Germaniam, tandem varijs tramitibus ad Imperatorem peruenit.

At Gibertus doli-machinator, cùm inſidię parum ex ſententia ſucceſſiſſent, pe-

iora molitur. Nam aliquot Cisalpinos Antistites in Gregorium coniurare, pollicitationibus perpulit, ipsumque Imperatorem, satis quidem suapte sponte sequentem, quod interminatus ei Pontifex propter scelera fuerat, contra Gregorium instimulat: ipsemet quidem viam ad Pontificatum ijs fraudibus & imposturis sternens. Cæterùm cùm hæc Pontifici fuerant detecta, Gibertum Parmensem, Imperatoremque vnà cum coniuratoribus reliquis fulmine Apostolico percutit, & dignitatibus vniuersis priuat. Henricus autem Imperator istiusmodi censuris non tam correctus, quàm irritatus, propterea quòd lucrum illud, quod ex Ecclesiasticis nundinis corraserat, amittere nollet: Episcoporum secum male sentientium cõuentu habito, sceleratum illum Gibertum olim Rauennatem Archiepiscopum, sed Apostolica authoritate iustè depositum, Pontificem creat, & Pseudopapam Clementem tertium vocat.

Iam tandè vides, quàm luctuosum schisma ex concupiscentia oculorum, id est, immoderata diuitiarũ cupiditate in orbẽ Christianũ irruperit. Erat Henricus Imperator omnium rerum abundatissimus, & opibus omnibus ac copijs circũfluebat: nihil illi deesse poterat, & tamen tantis

vndique opibus redundantibus illius inexplicabilis auaritia non satiabatur, nisi pro suo lubitu Ecclesias compilare, & Ecclesiasticas Præfecturas diuendere, idque in publico foro, quasi Apostolico Sacerdote annuente, liceret. Cuius quidē insaturabilis diuitiarū cupiditas & φιλαργυρία quantas clades sibi, Christianæque Reipublicæ intulerit, quisquis cognoscere velit, is legat illius tēporis historias, & comperiet, grauissima & cruenta valde prælia multorumque mortalium immanes cædes ex hac præfracta & incorrigibili Imperatoris pertinacia atq; importuna rapacitate profluxisse, præter exitiosum schisma. Neque enim solùm Gregorio viuente hoc dissidium durauit, verùm etiam posteaquā diem suum obierat, Victore succedente, quem (vt Historici quidam referūt) Henrici Imperatoris flagitiosa impietas veneno in Calicem, dum sacrificaret, iniecto, necauit. Atque etiā Vrbani 2. & Paschalis temporibus eadē perniciosa schismatis tempestas Christianum orbem concussit. Neq; certè vnius Giberti nece, qui dum hostili exercitu premeretur, relicta Alba in Furconēsium montana se proripuit, pauloque pòst subita morte sui sceleris pœnas luit, tantum discordiæ seminarium sublatum est. Nam tribus Antipapis, Alber-

Alberto, Theodorico & Maginulpho inuicé succedentibus, cruenta illa & pestilens tragœdia propagata est. Ex diuitiarum fallacia & amore, sicut Dominus in Euangelio docet, verbũ Christi suffocatur, ne crescat & fructum afferat. Matth. 13. Luc. 8.

Istiusmodi complures in illa immani persecutione, quæ sub Decio agitata est, pecuniarum admiratores terrore nimio fracti, vt Eusebius refert, reciderunt & collapsi sunt. Omnibus enim propè perterritis, quidam ex ipsis Nobilibus se sponte impijs artibus ingesserunt, alij conuenti tantummodo, nonnulli à domesticis proditi, ad Sacrificia execranda & hostias immundas properabant. Alij ex ijs pallentes & trementes, vt magis immolari ipsi, quàm immolare Idolis viderentur, ita vt etiam ab inspectante vulgo irriderẽtur, eò quòd & ad moriendum, & ad sacrificandum iuxtà meticulosi viderentur. Alij sanè tá impudenter ad aras prosiliebant, vt & affirmare niterentur, se nunquàm Christianos fuisse. Hi erant, de quibus prædixerat Dominus: Quoniam pecunias habentes difficilè saluabuntur. Hæc autem ideo ex Eusebio adscripsi, vt intelligas, mirum nõ esse, si sordida & illiberalis diuitiarum cupiditas quosdam ad schisma propellat, cùm ipsæ pecuniæ complures à Christiana pie- Lib. 6. Eccles. Hist. cap. 31.

 tate

tate ad nefandam Idololatriam adegerint.

2. Exempl. schismatis. Hac esca, nempe diuitiarum, & allectamento isto tam amęno & delectabili, suos sibi Discipulos aggregauit execrabilis ille Montanus, qui posteaquàm Sathanicis artibus ac fictis & commentitijs reuelationibus sibi authoritatem conciliauerat, sese paracletum à Christo Domino promissum fuisse asseuerare, non est veritus.

Euseb. l. 5. Ecclesiast. hist. cap. 16

Et quò plures ad suam nefariam societatẽ allicere posset, sicut ex Apollinari perantiquo Scriptore Eusebius refert, exactores nummorum constituit, & sub nomine oblationum ingentes thesauri aceruos accumulauit, suisq́; Pręedicatoribus, quò enixius doctrinæ eius operam præberent, salaria præstitit. Sic certè decuit illum suos secũ mystas retinere, qui ipsemet nimia Primatus cupiditate accensus, spiritibus immundis locum concedens in semetipso, Sathanę impulsu actus in ecstasi multa contra Catholicam Christi Ecclesiam contumeliosè proloqueretur, eiusque contemptum omnibus inducere laboraret. Suis enim persuadebat, vniuersam Ecclesiam, quæ per orbem est, blasphemare. Quod quidem ipsius non solùm proprium est, sed reliquorum propè omnium Schismaticorum, atque impiorum hæreticorum cõmune commentum,

Lib 5. Eccles. histor. cap. 18.

Euseb. Eccles. histor. lib. 5. c. 16.

tum, & contra Christi Sponsam maledicũ mendacium. Sic enim insanire & debacchari solent, quos Deus Mammona ad scelus & errores pertraxit.

Istis laqueis necessitis ille Paulus Samosatenus implicatus, suos quoque sibi disci pulos continuibus toxicatis & pabulis deuincire cõstituit. Nam ipsemet, sicut ex Epistola Concilij Antiocheni Eusebius citat, posteaquam à sanæ doctrinæ regula ad aliena se dogmata & adulterina cõuertit, cùm prius egẽs fuerit & pauperrimus, & neque ex parentum successione, neq; vllam quæstus occasionem haberet honestam, ad summas diuitias subitò peruenit, non aliunde, nisi ex sacrilegio, & ex his, quæ per fraudem diripuit, concutiens fratres, vendens patrocinia, & fidem susceptorũ negotiorum nec accepta mercede custodiens, existimans, secundùm quod scriptum est, quęstum esse pietatem. Atque vt plures ad suum sceleratum contubernium inuitaret, Presbyteris quoque & Diaconis, qui sibi morem gerebant, con gregandi diuitias facultatem tribuit, quò similibus obnoxij peccatis, & ijsdem illecebris deliniti, suo præceptori pertinacius adhærescerent. 3. Exempl. Lib. 7. Eccles. histor. cap. 26.

Quid, an non ab his, qui hodie Christi Ecclesiam perturbát, ijsdem artibus multi

mortales ad pestilentes & perniciosas sectas pelliciuntur? Vnde tanti in quibusdá
4. Exemp. Regionibus bellorum & seditionú motus? nisi ex illa spe, quam dudum cóceperunt: nempe fore, vt cùm schisma & hęresesinualuerint, Cœnobia, Monasteria, Collegia, & reliqui fundi ac facultates Ecclesiasticæ diripiantur, interq; ipsos viritim diuidantur? Vnde tá pertinax in reliquis Regnis, Prouincijs & liberis Ciuitatibus, (de ijs loquor, quæ à Catholica Communione seipsos præciderunt) secessio, tamq; funesta diri Schismatis & Hæresum propè
5. Exemp. omnium turpissima colluuies fouetur, nisi ex eo, quòd patrimonium Christi, quòd fundos, agros, possessiones, quæ à Collegijs & Cœnobijs atque Ecclesijs deprędati sunt, reddere & restituere nolunt. Malunt enim in perpetuum cum suis illis opulentis spolijs ac sacrilegis expilationibus deperire, quàm temporarium emolumentum & quæstum amittere, quàm eas, quas iniustè congesserunt, opes & facultates restaurare. Imò Christum potius ex illorum ditionibus exterminatum, & illius fidem ac Religionem extinctam penitus & delectam esse, quidam ipsorum malunt, quàm patrimonium, quod à Christo abripuerút, Saluatori reddere, quàm pecunias, quas spoliauerunt, in pios vsus cóuertere, quàm
fun-

fundos & agros, quos ademerunt, ad Religionis sustentationem & incrementum suppeditare.

Cæterùm isti Templorum direptores & rerum Diuino cultui consecratarum violatores, nisi maturè resipiscant, Diuinã illam vindictam expectent, qua Balthasar extinctus est, quòd sacra vasa prophanasset, qua flagellatus est Heliodorus, quum ærarium Templi vellet spoliare, qua Iulianus, quòd Deo dicata vasa ac pallia sacrilegè abstulit, plexus & interfectus est. Diutius autem fortassis in istis persequẽdis alicui moratus esse videar, quocirca in ijs, quæ dicenda supersunt, breuior esse studebo. Et cùm è tripartita Apostoli partitione, duas partes absoluerimus: tertiam nobis restare nemo non videt. Nam postquam de radice superbiæ & φιλοχρηματίας, quæ est oculorum concupiscentia, dixerimus: superest, vt de carnis concupiscentia, è qua infinitæ & grauissimæ calamitates atque etiam scissiones populo Dei pullularunt, breuiter & succinctè dicamus.

Daniel. 5.

2. Mach. 3.

Tripart. hist. l. 6. cap. 10.

3. Mẽbrum principale, ex quo nascuntur schismata.

Ea autẽ carnis & corporis cupiditas duplex esse videtur. Nã altera inguinis, altera ventris esse putatur. Illa verò φιληδονία, hæc autem γαστριμαργία appellari potest. Γαστριμαργία autem perniciosas secum cor-

Concupiscentia carnis, duplex

corruptelas, & tùm corporis morbos, tùm animi pestes inferre & importare consueuit. Quisquis enim lautitias consectatur, & opiparis ac delicatis ferculis aluum suam præter modum & ordinem distenderit, is facillimè tū ad schismatis, tùm ad hæreseos societatem pertrahitur. Huiusmodi enim non Christo Domino, sed suo ventri seruiunt, de quibus Theophylactus liberè pronunciat, quòd ex hac ventris ingluuie & vitiorum seruitute omnes eruperunt hæreses. Nam gulosi isti homines, inimici Crucis Christi ab Apostolo dicti, quòd eorum Deus venter sit, & gloria in confusione ipsorum, primùm quidem statuta & solēnia Christiani populi ieiunia violant. Quod quidem non leue esse peccatū, Ambrosius astruit. Dein, vt id quod ipsi faciunt, alijs quoque persuadeant, in hæresim Aërianam ante mille & centenos annos condemnatam prolabuntur, asserendo, indictos ieiuniorum dies non esse seruandos, sed tum cuique carnem inedia macerandam esse, cùm senserit opus esse ieiunio ad corporis & libidinum faces restinguendas. Atque adeo non solùm in Schismatis, sed hæreseos quoque gurgitem, esculentorum & poculentorum illecebris pertracti, penitus demerguntur.

Rom.16. Theophyl in cū loc.

Philip.3.

Amb. sermon.25.

Hos

Hoc loco pleroſque ego commemorare poſſum, tum iuuenes, in quibus maxima ineſt imbecillitas conſilij, tùm prouectiores, quos maiore prudentia & cõſtantia pollere propter ætatem oporteret, qui poſteaquàm cõmeſſationibus indulgere, & carnibus veſci ſtatutis ieiuniorum diebus cœpiſſent, ſenſim in profundum totius iniquitię & impietatis voraginem pręcipitati ſunt. Quorum poſteaquam Sathanæ aſtutijs & inſidijs conſcientia ſauciata fuerit atq; etiam [illegible] à conuiuijs epularũ oblectamentis abſtinere recuſat, ſeque noctes ac dies exquiſitis dapibus ſaturare quærit: fit, vt [illegible] lenocinijs capta & irretita, iam non amplius fręna gulæ inijcere, ſed laxatis potius habenis magna auiditate ad voracitatem ferri, & huius ſui intemperantis affectus aliquod quaſi ſpecioſum inuolucrum comminiſci & prætexere velit. Hoc autem maximè fit, cum ſordidiſsimas ſuas labes ſplendido verbi Dei & Euangelij Chriſti operculo tegere & occultare ſatagunt: transferentes gratiam D. N. Ieſu Chriſti, in luxuriam & in opera carnis, ſub velamento Euangelicæ veritatis occultantes. Hinc pernicioſa Schiſmata, hinc Hæreſes funeſtæ oriuntur: vt non immeritò Beatus Hieronymus ſcripſiſſe

[illegible] lum Schiſmaticorũ propter gulã.

Iud. epiſt.

Hieron. in Hier. cap. 3 videatur, quòd nulla hæresis, nisi propter gulam ventremque, construitur. Et alio loco ait: Contemplemur Hæreticos, quomodo semel desperantes salutem, gulæ se tradant, & delicijs, id est, vt vescantur carnibus, frequenter adeant balneas, musto fragrét, vnguentis varijs delibuti quærunt corporis oblectamenta. Simul enim futura non sperant, neque credunt Resurrectionem. Quod cùm sermone non pandant, operibus ostendunt. Si enim crederent, ista non facerent. Ex insatiabili igitur gulę ingluuie multi ad exitiosam Schismatis, atque etiam impietaris & adulterinæ doctrinæ foueam propelluntur.

In 23. cap. Hier.

Exemplo huius rei nobis esse potest Eudoxius Antiochenus, qui post Leontij mortem Præsulatum arripiens, Sybaritico luxu & pecuina ventris voluptate dissolutus est, ac propterea in turpissimam hęresim incidit, docendo dissimilem Patri Filium. Huius lautissimas epulas consectatus Aëtius, parasitica quadam assentatione illi adhæsit, & eiusdem blasphemæ impietatis professor fuit. Exemplo etiam potest esse Martinus Lutherus, qui dolens & molestè ferens, prædicandarum Indulgentiarum munus, quod sui Ordinis fratribus prius commissum fuerat, ad Dominicanos esse translatum, atque illud emolumen-

Theod. l. 2 cap. 27.

1. Exempl. Schismatis orti ex gula.

2. Exemp.

3.

lumentum, quod inde capiebatur, sibi ac suis præreptum & interuersum, cuius magnam partem in delicatas epulas & compotationes insumpsit, primò quipem cœpit contra Indulgentias latrare. Nam quibus rebus ipse ad ventrem & ingluuiem abuti solebat, eas ferre non potuit à se diuelli, & ad alios transferri. Nidor itaque culinæ & Deus venter, vt quidam ait, Lutherum ad eam impietatem & vesaniam adegerunt, vt Ecclesiam Christi oppugnare & proscindere auderet. Neque sanè alio, quàm temulentiæ stimulo, illius ferox animus & furiosus ac præceps impetus postea acuebatur, adeo vt illius madida scripta vinum redoleant & ebrietatem sapiãt. Sic quod est ventre instigante adorsus, id etiam ventris causa pertinaciter & obstinatè persequitur. De ipso autem & illius sequacibus illud propheticum verè dici & enunciari potest: Verum & ij quoque præ vino nescierunt, & prę ebrietate errauerunt: absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt Videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensę repletæ sunt vomitu. Atque hæc quidem de malo Gastrimargię, & Schismatum exemplis hinc enatis, dixisse sufficiat. Restat autẽ, vt postremũ & vnicũ illud Φιληδονίας membrum vno exemplo patefaciamus. Esai. 28.

2. Pars cō-cupiscentiæ carnis luxuria.

Ea autem est ἀσελγεία, quam nos intēperantem & libidinosam voluptatū cupiditatem atq; effrenem illam venereæ titillationis appetitū interpretari possumus. Quicunque enim voluptate nimia gestiūt, & libidinosa luxuria estuant, timoreq; Dei excusso, ad illicitum & fœdum veneris vsum toto impetu feruntur: ij Deum diuinaq; omnia voluptati postponentes, leuissimo quouis momēto ad Schisma potius & hæresim se proripiunt, quàm a cō-suetis se voluptatibus abduci & auelli sinant. Hinc fœdissima illa Nicolaitarum factio prorupit, qui ex Nicolai Diaconi dicto suæ turpissimæ sectæ originem traxerunt. Qui, sicut ex Clemente Alexandrino Eusebius refert, pulchram habens vxorē, cùm ab Apostolis increparetur tanquàm Zelotypus, eam in medium productam, cuiq; volenti permisit. Ex qua occasione illi consequens putauerunt, vt secundum hoc factum vel dictum Nicolai, vnuiquisque carne sua in quod delectaret abuteretur. Et obtinentes dictum vel factum huius simpliciter & innocenter, absq; vlla reuerentia, promiscuos nunc & illicitos cō-cubitus expetunt hi, qui sub illius nomine sectam sibi propriè libidinis assumpserunt. Ex hac eadem stupri & libidinum turpitudine vetus illud Audæi & suorum

Exempla Schismat. ex luxuria.

Eccles. histor. l. 3 Cap. 29.

2. Exempl.

ſequacium, & noua noſtro ſeculo Liberti-norum ſiue Anabaptiſtarum factio pullu-lauit, apud quos permiſſum eſt, cũ mulie-ribus, non legitimo coniugio ſociatis, im-probè & nequiter viuere. Neq; verò alio ſtimulo incitati ſunt aut Iouinianiſtæ, aut noſtrę ętatis Sectarij, vt contrà quàm vo-uerant, incæſtas nuptias contrahant, niſi libidinum & voluptatis. Theodoret lib. 4. c. 10. 3. Exempl. Hier. cont. Iouinian.

Ac ne plura commemorando ſim proli-xior: quid aliud penè his temporibus Re-gem potentiſsimum, qui incurrit in vocu-las omniũ, vt ſeſe à Catholicę Eccleſię vni-tate pręcideret, atq; Apoſtolici Principatus obedientiam abijceret, impulit: niſi carnis & voluptatis illecebra? De quo quoniá hi-ſtorię oẽs clamãt, & adhuc in recẽti homi-num memoria res eſt, in præſenti dicere ſuperſedebo. Cuius quidem Schiſmatis in populo Iſraëlitico adumbrata quędam ef-figies eſt, dum Manaſſes Iaddi Pontificis frater, quia ſe vxore alienigena per Legem illicita priuari noluit, ſed ægrè tulit, à Iu-dęis & eorum ſacroſancto Templo Hiero ſolomitato deſecit, ſibique per Sanaballe-tis ſoceri ſui potentiam, aliud templum in monte Garizim ædificari procurauit, vbi contra fas & nefas Epiſcopatũ ipſe ſor-titus, ſceleratos quoq; & varijs obnoxios criminibus, qui ex Hieroſolymis expulſi Auguſt. ad Quotvult. Hæreſ. 82. 4. Exemp. Ioſeph. Antiq. Iud. lib 11. c. 7. & 8.

fuerāt, ad suas partes & factionē traduxit: tātum potuit in illo etiā veteri populo ista, de qua iam nimium diximus, φιλνεικία. Plura possem exempla cuiusque membri adijcere, sed hæc, quę adduximus, ad causæ explicationem abundè sufficere putamus. Atque ex his quæ cōmemorauimus satis, vt arbitror perspicuū efficitur, vnūquodque Schisma aut à concupiscentia carnis, aut à concupiscentia oculorum, aut à superbia vitæ proficisci.

Ex charitate ergo Ecclesiæ vnitas coit & conseruatur, ex cupiditate eadem vnitas rumpitur, & schisma infertur, recteque hoc meo iudicio Augustinus scripsit: Radix omnium bonorum est charitas, sicut & Radix omnium malorum est cupiditas. Sicut in charitate nihil vnquam mali, ita in cupiditate nihil vnquam boni poterit inueniri. Istæ duæ radices, fratres dilectissimi, in duobus agris à duobus plantantur agricolis: vnam in cordibus bonorū plantat Christus, aliam in cordibus malorum plantat diabolus: nec de charitatis radice nascitur aliquid mali, nec de cupiditatis radice nascitur aliquid boni. Non enim mentitur veritas, quæ in Euangelio, cùm de istis duabus radicibus loqueretur, ita definiuit, dicens: Arbor bona fructus bonos facit. Et iterum: Nō potest arbor bona fru-

Ex charitate vnitas. Ex cupiditate schisma.
De temp Serm. 44.
Ephes 3.
1. Timot. 6

na fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Et pòst eodem in Sermone: Istas duas radices duo agricolæ plantare consueuerunt: vnam plantat Christus in cordibus fidelium, alteram plantat diabolus in cordibus superborũ. ac sic vna plantatur in cælo, altera in inferno. Vnde manifestum quidem existit, teterrimũ Schismatis sacrilegium ex radice cupiditatis, è qua omnia mala nascuntur, quæq; per Sathanã in cordibus impiorum seruntur, prodire & nasci semper solere. Matth. 7. & 12.

Possunt quidem subtilius & minutius hoc argumentum pertractanti plures aliæ causæ & Schismatum origines occurrere, quæ tamen omnes, si diligentius excutiantur, sub illa, quæ explicuimus, capita redigi queunt. Multas autem Schismatum occasiones colligit Ioannes Gerson in Sermone, quem de signis ruinæ Ecclesiæ in Concilio Constantiensi proloquutus est. Eas, qui volet, illinc petere poterit. De his qui Schismatũ Architecti & satores sunt, scripsit Iudas Apostolus, quòd carné maculant, Dominationem spernunt, Maiestatem blasphemant: ac proinde illorum exitium prædicés, ait: Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt. Verè etenim, ait, Cain imitantur

Gerson part. 1. sermon. de signis ruinæ Ecclesiæ.

Iud. epist.

Schiſmatici omnes, quia inuidia fraterna & piorum odio in ſeceſsiones ſeorſum ſegregantur, eoſque, qui vnà cum illis ad exitialem ſeparationem non prouolant, perimere cupiunt, aut quæſtus & emolumenti ſui gratia, ſicut Balaam olim, Diuinæ voluntati aduerſantur, & fideli Chriſtianorum ſocietati malitioſè mala imprecantur, & acerbiſsima maledicta intorquere adducuntur, aut ſimul cū Chore ſummo Dei Sacerdoti & Chriſti in terris Vicario reſiſtūt. Inde enim, ſicut Cyprianus & Hieronymus locupletiſsimi ſunt teſtes, nata ſunt Schiſmata, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus ad tempus in Eccleſia ſacerdos, & ad tempus Iudex, vice Chriſti, cogitatur. Cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens poteſtas detur, tot efficiuntur in Eccleſia Schiſmata, quot ſunt Sacerdotes. Satis igitur copioſè, vt opinor, cauſas explicuimus & radices, è quibus Schiſmata oriuntur, & propter quas homines animales Spiritum non habentes, ſemetipſos ab Eccleſiæ vnitate ſegregare ſunt ſoliti.

Cyprian. L.1. Epiſt. 3. Hieron. contra Luciſer.

Cur Deus in populo ſuo ſchiſmata & hereſes naſci ſinat.

CAPVT. V.

SED

SED hoc loco quiſpiá fortaſſe imperitior quærit, qui diuinæ adminiſtrationis ac diſpéſationis abyſsũ minus Quæſtio. attentè, aut magis tardè conſiderat, quique adhuc nõ perſpexerit, diuinam illá naturam nihil omnino fruſtra creaſſe, nec quicquam inter mortales temerè euenire permiſiſſe: cur Dominus Ieſus, Deus & Saluator noſter, qui tanta ſollicitudine ſuis pacem commendauit, qui tot pignoribus veritatem Euangelij & vnitatem Eccleſiæ adornauerit, ſinat inter fideles ſuos cultores tot hęreſes graſſari, tot ſuboriri exitioſa Schiſmata. Huic primùm reſpõdemus, ſic Diuinam & incomprehéſi- Reſponſio bilem Sapientiam hominibus ſalutem obtuliſſe, gratiamque ſuam quibus voluerit impertiſſe, vt nec cuiuſquam voluntati vis ſit adhibita, ne eorum, qui gratiæ obſtiterunt, aut ſcelera impunita in ipſis qui ceciderunt, aut rectè facta infructuoſa electis ſuis forent, qui per auxilium gratiæ illius in fide & charitate ſtarent. Is enim, qui cuncta propter credentem & morigerum ſuum populum condidit, quique infinita beneficia ſua ſponte Eccleſiæ communicauit, id quoque in ſuorum gratiam præſtitit, vt inſidioſi Sathanæ aſſultus, atq; etiam reproborũ nefariæ molitiones, in piorum commodũ & ſaluté cederent.

Cōmoda electorum ex hæresi & schismate.

Itaque sicut ex cæteris flagitijs, sic etiam ex Hæreseon & Schismatum turbulento incursu, Sanctorum constantiam & virtutem promouet, ipsorumque inuictam magnanimitatem clariorem & illustriorem reddit, suamque erga nostrum genus incomprehensibilem benignitatem & immēsam misericordiam commendat, nam afflictis subuenit, prostratos subleuat, omni humano præsidio destitutos cælesti præsidio amplectitur & reficit: dum laborantes adiuuat, elisos erigit, Dei opem implorantes exaudit, eisque optata solatia impertit: dum, quæ intentata fuerant mala, in pietatis lucrum, & quæ ad perniciem & interitum inferebantur, in occasionem salutis & perpetuæ incolumitatis conuertit. Eadem hac pietate Diaboli inuidiam, qua primum nostrum parentem ad peccandum pellexit, & Adami inobedientiam, qua Diuinum mandatum transgressus est, in ipsius insidiatoris grauiorem condemnationem, & in decepti hominis vberiorem redemptionem conuertit.

Potentia Dei mala conuertit in bona.

Nam sicuti vetus ille impostor sua malignitate hominem deuicit, sibique per liberam peccati consensionem captiuum effecit: sic certè perpetuum bellum inter humanum genus & diabolum esse voluit, & illum, qui hominem vicerat, ab homine vin-

vincendum esse prædixit: in quo quidem homine peccatum nullum faciēte, sed peccata nostra in corpore suo super lignum portante, & peccatorum remissionem omnibus sibi obtemperantibus præstitit, & benedictonem, qua prior illa, quæ propter peccatum illata fuerat, maledictio tolleretur, exhibuit, & eos, qui prius, si non deliquissent, paradisi incolę immortaliter permansissent, postea vero quàm peccauerāt, serui peccati & mortis facti sunt, per ampliorem & superabundantem suam misericordiā & gratiam hæredes Dei, cohæredes Christi, Sanctorum conciues, perpetuośque ac fœlices perennis & immortalis Beatitudinis, ac Regni filios & inhabitatores constituit & ordinauit.

Nam sicut primus Adam peccatum mundo intulit, ita Christus secundus Adā peccata mundi deleuit: ille per inobediētiam reatum inuexit, hic per obediētiam, conscientias à reatu purgauit. Ille vniuersis suis posteris, qui ex ipso naturaliter originem traxerunt, peccati & mortis author fuit: hic suis obsequentibus ac morigeris fratribus, qui per Spiritum sanctū in lauacro aquæ & verbo vitæ regenerati sunt, factus est causa salutis æternæ. Atque adeo ruinam nostræ calamitatis reparauit, vt victorem & tyrannum diabolum nō

Antithesis veteris Adæ & noui.

solùm à semetipso, sed à suis etiam per gratiam victum, quasi vinculis astrictum detineat, vt non noceat plus quàm Deus permiserit, nec cuiquàm noceat præterquá ijs, qui vltro se in illius seruitutem & miseram captiuitatem pręcipitant, Deùmque deserendo sese sceleribus & impietati vltro dedût. Reliquis verò, qui sub Christi vexillo militantes, cum Satnana bellum irreconciliabile gerunt, & contra carnis ac mundi illecebras ac ludibria strenuè dimicant, non solùm per internum Spiritus afflatum opitulatur, dum adhuc in certamine & lucta periclitantur, verùm etiam eorum conatus, labores & victorias promissis ingentibus, maxima mercede, coronis amplissimis excitare, prouehere & remunerare non cessat.

Epist. 59. Illud enim, ait Augustinus, consiliû Dei in abdito est, quo etiam malis bene vtitur ad profectum piorum, in hoc etiam mirificans omnipotentiam bonitatis suæ. Quia sicuti illorum nequitiæ est, male vti bonis operibus eius: sic illius sapientię est, bene vti malis operibus eorum. Hæc enim Deus Liberator noster exurgere nô permitteret, nisi Sanctis eius per huiusmodi tentationes erudiri expediret. Comparát illi quidem, sua voluntate peruersa, & præsentis meritum cæcitatis, & futuri æterni

Augustin. Epist. 161.

æterni supplicij, si per contumaciam indociles fuerint, seque cũ in hac vita fuerint, corrigere & emendare neglexerint. Veruntamen sicut ipsi male vtuntur bonis Dei, qui facit Solẽ suũ oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos, quos per patientiam suã ad pœnitentiam vocat, cum ipsi thesaurisant iram in die & reuelationis iusti iudicij Dei: Sicut, inquam, ipsi benignitate & patientia, id est, bonis Dei, male vtuntur, dum non corriguntur: ita contrà Deus malis eorum bene vtitur, non solùm ad iustitiam suam, qua his digna in fine retribuet, sed etiam ad exercitationem & profectum Sanctorum suorum, vt etiam ex malorum peruersitate, boni proficiant, & probentur, & manifestentur. Matth. 5. Rom. 2.

Neque solùm Dæmonum fraudes & reproborum improba facta Deus in emolumentum pietatis Electorum suorum conuertit, verùmetiam sæpissimè iustorum lapsus & peccata, Diuina sua pietate & gratia, in augmentum & cumulum ipsorum salutis mirificè & suauiter dispensat. Homines enim, inquit Θεοδίδακτος Diuus Bernardus, aliquando cadere necesse est, dum in hoc seculo detinentur: sed alij colliguntur, alij non, quia Deus supponit Bonorum lapsus Deus in profectum eorum cõuertit. Serm. 2. in Psal. Qui habitat.

manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus, vt segregemus, iuxta Domini exemplum, agnos ab hædis, iustos ab iniustis? Nam & iustus septies in die cadit.
Prou. 24. Verùm hoc interest inter eorũ casus, quòd iustus suscipitur à Domino, ideoque resurgit fortior. Iniustus cum ceciderit, non adijciet vltrà vt resurgat, imò verò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. aut enim excusat quod fecit, & hic est pudor adducens peccatum: aut sit ei frons meretricis, & iá nec Deum timet, nec hominem reueretur, sed prædicat peccatum suum sicut Sodoma. Iustus verò super manum Domini cadit, & miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum in iustitiam cooperatur. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-
Rom. 8. num. Nónne cooperatur ille nobis casus in bonũ, vnde & humiliores efficimur, & cautiores? Nônne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Impulsus euersus sum vt caderẽ, ait Propheta: sed nihil profecit, qui impulit me, quoniam Dominus suscepit me. Sed quispiá fortassis dicturus est: Quorsum hęc? Nempe vt ostendam, Diuinam benignitatem & φιλανθρωπίαν non solùm ex Sathanæ insidijs & flagitiosis perditorũ sceleribus electorum suorum salutem operari,

rari, verùmetiam efficere solere, vt etiam eorum, à quibus diligitur, peccata in suam ipsorum vtilitatem cedant. Quoniam sicut Apostolus docet, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si vero omnia illis proficiunt, atque ampliorem ipsorum profectũ adiuuant: quis dubitare iã poterit, quin & Hæreses, & Schismata illis plurimum prosint? Id autem vt tute perspicias, Christiane Lector, particulatim, quæ ex tantis malis commoda eliciantur, ostendam. Rom.8.

Primò quidem Dominus in Deuteronomio præcipit, dicens. Si surrexerit in medio tuî Propheta, aut qui somniũ se vidisse dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: Non audies verba Prophetæ illius, aut Somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Quæso, vt mecum pariter hæc Dei verba velis pensitare. Si surrexerit in medio tuî Propheta, inquit, id est, non quiuis (neque enim nisi ab excellentibus ingenijs Hæreses & Schismata conduntur) sed is, qui prophetico spiritu præditus, qui Prophetiæ munere præcellens, Etiam Hæreses & Schismata prosunt electis. Deutr.13. Explicatur locus Deuteronomij.

lens,

lens, dignus quidem haberi & existimari possit, cui tutò credas, cui in diuinis documētis, in cęlestibus oraculis fidem habeas. Propheta enim vel ipso nomine & prophetandi dono authoritatē sibi conciliare queat. Aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, (iam quidē alterum genus corū, qui futura prętuaticinātur, adiungit) nēpe qui per somnia res futuras sic sagaciter prædicunt, siue signum, id est, præter consuetudinē aut cōmunem hominū expectationem, siue portentū, id est, contra spem & supra ipsorum captum quicquam euenturum pręnūciauerit, & tamen illud idē iuxta ipsius pręsagiū euenerit: habes quidē maxima fidei faciēdę momenta, Prophetiam scilicet & somniatoris signum prædictum, modo quo prædixerat, completum. Neq; certè aut contēnendum, aut leue est, quod à Propheta profertur, neq; fide carere poterit illius sermo, à quo, quæ antè fuerant prædicta, iā euenisse videmus. Ingens vtrinque est authoritatis pōdus, tùm quòd Propheta loquatur, tùm quòd verū esse experimur, quicquid à somniatore fuerat prænunciatum.

Sed reliqua persequamur. Et dixerit tibi. Quis verò? Propheta scilicet, aut veridicus somniator. Et quid est, quod dixerit?

rit? Nempe: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis. Qui sunt isti Dij alieni? Qui alij, nisi vana & perniciosa dogmata, quæ ipsorum Cōmentatores & Architecti tanquam Deos colunt? An quisquam post Christi Ascensionem & effusum Spiritū sanctum, veram vnius Dei fidē professus Deos alienos aut prædicare, aut sectari audebit? Profectò quantum ad Idola pertinet, vniuersi fide semel imbuti dicere poterunt: Scimus, quia nullum est in mundo Idolum. Neque certè tolerarent, aut patienter ferrent, qui vnum Deum ex sacris oraculis & sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ magisterio edocti fuerant, plures sibi aut alienos Deos prædicari, quos Patres ipsorum non nouerant, nō coluerant. Per Deos itaq; alienos, vnà cum D. Hieronymo, Augustino, & Vincentio Lirinensi intelligenda putamus peruersa & adulterina dogmata, veritati repugnantia: Quæ ab Hæreticis haud aliter obseruantur, quàm Dij alieni à Paganis. Neque certè post mortem Christi, aut Turcæ, aut Iudæi, aut Cerinthiani, aut Simoniani, aut Photiniani, aut Ariani, aut Lutherani, Zuingliani, Anabaptistæ, Caluinistæ, aut vlli alij quicunque falsæ & commentitiæ cuiusuis religionis aut Sectæ Machinatores,

Dij alieni perniciosa sunt dogmata.

1. Cor. 8.

In 11. Zachar.
in 2. Esaiæ
De vera relig. Cap. 38

Nullus Hæreticorum ferè post Christum plures Deos prædicare ausus est.

fuerunt, aut sunt, vllum alienum, præter vnum Deũ, prædicare sunt ausi. Id enim lumen per Christum verum Orbis illuminatorem cunctis mortalibus patefactũ est, vnum tantùm Deum credendum esse. Dij itaque alieni rectissimè intelliguntur errores extranei, quos qui antea piè vixerunt, Parentes nostri, Christiani homines, ignorauerunt. Atque certè hæ voces (quas Patres ignorauerunt) palam testátur, Scripturam hanc de peregrinis & peruersis erroribus, qui veritati à Patribus receptæ essent contrarij, debere intelligi. Iam autem consideremus quid sequatur.

Nõ audies, inquit, verba Prophetę illius aut Somniatoris. Quid, Domine Deus? Prohibêsne, vt Prophetarum verba audiamus? Imò verò hortaris & consulis, vt auscultemus vocibus eorum, quos tu Prophetię spiritu induisti. Iam verò signáter & apertè loqueris, quando dicis, illius Prophetę: illius scilicet, qui Deos alienos, & prius incognitos opinionum errores sequendos, qui veritatem Patribus traditam derelinquẽdam esse suadeat. Et quare non audiamus verba Prophetæ illius? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis illum, an non, ex toto corde, & ex tota anima vestra. Quid est hoc, tentat vos Dominus

Deus

Deus vester, nisi, explorat & experitur vestrum erga illum obsequium, vestram in ipsius fide constantiam, vestrum amorem: vt manifestè sciatur, vtrùm ipsum diligatis. Sed an quicquam emolumenti inde consequuntur, qui à Domino sic tentantur? Maximum profectò. Tentauit Deus Abraham, & ex ea tētatione eximium pietatis incrementum, & amplissimam Dei promissionem assequutus est Patriarcha. Beatus enim, qui suffert tētationem, quoniā cùm probatus fuerit, accipiet coronā vitæ. Quocirca suadet & consulit Apostolus, vt omne gaudium existimemus, cùm in tentationes varias inciderimus. Non esset gaudendum, nisi singularem vtilitatem inde adipisceremur.

Fructus qui nasci solet ex tētatione Dei. Gen. 22. Iacob. 1.

Ergo cùm per Schismaticorum impetuosos furores, vel Hæreticorum blanda & fallacia venena, vel ad Schismatis, vel ad Hæreseos societatem vel rapimur, vel allicimur: intelligere debemus, tum per Pseudoprophetas & subdolos Sathanæ satellites, nostram constantiam, nostram fidem atque dilectionem tentari, vt palam orbi prodatur, quod antea in corde inclusum delitescebat, vtrùm propter charitatem veritatis, Ecclesiæ Catholicæ vnitatem & communionem firmiter teneamus, atque orthodoxæ fidei & doctrinæ vitam etiam

noſtrã poſtponamus, an propter leuitatem & mutabilẽ animi inſtabilitatẽ, vel ab Eccleſiæ vnitate ad Schiſma, vel à Chriſti orthodoxa fide & veritate ad hæreſes & errores, quouis doctrinæ impulſu & omni doctrinę vẽto circumacti, deflectere velimus. Sic olim, ſicut Scriptura teſtatur, tentati ſunt Patres noſtri, vt probarentur, ſi verè colerent Deum ſuum. Pater noſter Abrahã tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerũt Deo per multas tribulationes tranſierunt fideles. Magna verò tentatio eſt, quando is, quem propter admirabilem ſacrarum literarum cognitionẽ Prophetę loco habes, quem propter perſpicaciſsimum ingenij acumen ſuſpicis & admiraris, quem in multis veracem expertus es, te ab vnitate & communione Catholicę Eccleſiæ auellere, & in ſchiſma pertrahere, atq; ab orthodoxa fide ad hæreſim auocare, omnibus neruis contendit. Iſtiuſmodi enim tentationibus inflexibilis & incõcuſſa noſtra in Chriſto ſoliditas exploratur, dum tantis tribulationum molibus, tam illecebroſis ſuadelis non ſuccumbimus, non aſſentimur, ſed in fide & charitate fundati & radicati, immobiles permanemus. vndè & probatio fidei noſtrę multò pre-

Iudith. 8.

Tentatio [illegible] Patriarcharũ.

Quæ [illegible] doctis.

Col. 2.

1. Pet. 1.

tò pretiosior auro quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriá, & honorem, in reuelatione Iesu Christi. .

Ergo sit hoc primum huius tanti mali cómodum, quòd per Schisma & hæresim Dominus tentat & excutit suorũ electorũ mentes, vtrùm propter ipsius amoré & fidé, Schismatis sacrilegium & hęreseon cótagia vitare velint & effugere: atque etiam vt palà fiat, quid in penetrali pectoris reclusum sit, & quàm sit quisq; tenax Catholicæ communionis & doctrinę. Nam priusquàm hæ tempestates & procellæ inualescant, & quasi violento quodam impetu vniuscuiusq; firmitaté & vires pertentent, omnes pariter, qui Christiano & Catholico nomine censentur, videntur eiusdé esse fidei, concordis & consentientis iudicij. At posteaquam validis Schismatis fluctibus pulsati, & vehementi Hæreseon gurgite fuerint succussi; tum quidem plerique, qui antea inuicti apparebant & insuperabiles, statim eliduntur, & qui infirmi ac imbecilles putabátur, egregios & inexpugnabiles se Athletas esse, ipso in certamine commonstrant: tum qui hypocritæ & simulatores, qui synceri & simplices, qui fucati & infucati, qui constantes, qui instabiles sint, qui verò, vt grana, intra horreum maneant, qui rursum vt paleę, quo-

I. Commodum ex tétatione hæresis aut schismatis.

Quomodo per tentationes fiat discretio bonorum à malis.

quouis venti flatu huc illuc iactentur, clarissimè perspicitur. Atque hanc primam ex hæresi & Schismate vtilitatem consequuntur electi Dei, quòd inde manifestũ fit, qui in fide & charitate fixi & radicati sunt, qui rursus quouis doctrinæ flatu circumferuntur, & ab vnitate ac cõpage corporis Christi leuissimo pulsu abripiũtur.

2. Commodum ex schismate & hæresi.

Alterum verò commodum & emolumentum, nec minus fructuosum, atque etiam haud scio an magis necessarium, ex eisdem colligitur, quòd per Schismaticorum violentas incursiones & subdola & venenata Hæreticorum commenta, excitantur Christiani & orthodoxi homines, vt sibimet attentius caueant, ne vel Schismate implicentur, vel errorum laqueis irretiantur: atque etiam extimulantur qui Ecclesijs præsunt & reliquis in docendi munere præficiuntur, vt accuratius ac diligentius ipsas scrutentur Scripturas, quibus errores refutari, & Schismatis assultus retundi possint & inhiberi. Fit enim sæpenumerò, vt pij etiam homines longa pace in tranquillitate euadant supiniores, ac minus contra Aduersarios instructi. At postquam bellum Ecclesiæ Christi illatum fuerit, & castra Dei à Schismaticis & hæreticis oppugnari cœperint: tum quidem qui antea dulci contemplationis otio sese dederant,

derant, & quietioribus ſtudijs oblectabā-
tur, coguntur arma ſumere, aciem ingredi
& cum veritatis hoſtibus dimicare. Atque
inde quidem efficitur, vt ipſorum ſocor-
dia excutiatur, calcarque & ſtimulus ad
res diligentiſsimè pertractandas ex aduer
ſariorum importunitate & aſſultu adhi-
beatur.

Schiſmatici itaque & Hæretici in hoc
proſunt Orthodoxis & Catholicis, quòd
& ipſorum ſegnitiem depellant, & diligē-
tiam acuant, & ad vnitatem Eccleſię & ſa-
næ doctrinæ ſoliditatem tenacius ample-
ctendam, inſtigent. Efficit enim ſuborta
Hæreſis, vt à doctis & peritis viris Scriptu
ræ ſumma cum attentione perlegantur, vt
genuinus ſacrarum literarum intellectus
accuratiſsimè perueſtigetur. Efficit item
Schiſma, vt diſsidia & rixas deuitantes,
Catholicæ Communioni & paci omnibus
modis & conſulant, & adhęreſcant, quicū-
que charitatem veritatis & vnitatis ample
xi ſunt. Ergo Deus tā horrenda & perni-
cioſa monſtra ſuam Sponſam Eccleſiam
infeſtare permittit, vt in illis ſuos Athle-
tas erudiat & inſtruat ad præliandū præ-
lia Domini. Cuius rei exemplum in vete-
ri populo præceſsit. Nam Phyliſtæos &
Cananæos non protinus deleuit Domi-
nus, vt in ipſis experiretur Iſrael, vtrum

Iud.2.& 3. custodiant viam Domini, & ambulent in ea, & vt ex ipsorum congressionibus certare discerent, qui non erant armis & castris assueti. Ita in Ecclesia Hęreses & Schismata pullulant, ad exercendam doctrinã sanæ Religionis, & vnitatis cõsensum corroborandum. Firmiore enim pręsidio muniri solét, quę hostili incursu maximè impetũtur. Multa, inquit D. Augustinus, ad fidẽ Catholicã pertinentia, dũ Hæreticorũ callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & cõsiderantur diligẽtius, & intelligũtur clarius, & instãtius prędicãtur & ab Aduersarijs mota quęstio discẽdi existit occasio. Ideo enim Diuina prouidẽtia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cũ insultant nobis, & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiã, & Diuinas Scripturas nosse cupiamus. Improbatio verò hæreticorũ facit eminere, quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana Doctrina. Dissidia autẽ Schismaticorum Ecclesiæ pacem & cõcordiam & amabiliorem, & illustriorem reddunt. Vtrinque itaque fit ingens pietatis accessio in illis, qui ab impia vtriusque labe & corruptela se integros seruant.

De Ciuit. Dei lib. 6 Cap. 2.

Cont. Manich. lib. 1. Cap 1.

Aug. Confess. lib. 7. Cap. 19.

1. Cor. 11.

Quare cùm verissimè scriptum sit, oportere hęreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant, sicut D. Augustinus salutariter

nos

nos admonet: vtamur iſto Diuinæ proui-dentiæ beneficio. Ex ijs enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccle-ſia, nihilominus errarent. Cum autem fo-ris ſunt, plurimum proſunt, non verũ do-cendo quod neſciunt, ſed ad verum quæ-rendũ, carnales: & ad verũ aperiendũ, ſpiri-tuales Catholicos excitãdo. Sũt autem in-numerabiles in Eccleſia ſancta Deo pro-bati viri, ſed manifeſti non fiunt inter nos, quàmdiu imperitiæ noſtræ tenebris dele-ctati, dormire malumus, quàm lucem ve-ritatis intueri. Quapropter multi vt diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de ſomno excitantur. Vtamur igitur hæ-reticis, nõ vt eorum approbemus errores, ſed vt Catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem re-uocare non poſsimus. Omni itaque ratio-ne Orthodoxorum & Catholicorũ diligẽ-tiam & induſtriã hęretici ac ſchiſmatici & inſtimulãt, & augẽt, dum Paſtores ad tuẽ-dũ & propugnandũ ſanam doctrinã omni cura & cogitatione peruigilãt, dũ ouiculæ ſolicitè ſibi cauent, ne vlla leui aut hęreſeos aut ſchiſmatis labe cõſpurcẽtur. Id ipſo fi-dei noſtrę & Religionis exordio, cũ adhuc tenerã ſalutaris doctrinę ſegetẽ adulteri-na loliorũ cõmixtione ſuffocare Sathanas

De vera Relig. c.8.

Ex quibus hominibus fiunt hæretici, & quantum proſunt tales.

Solicitudo catholicorum poſt natam hæreſim.

aggrederetur, in sequentibus subinde temporibus euenisse, ex veracibus Historijs comperimus, vt per eximios & excellentes viros, quorum mentes Spiritus sanctus cælesti lumine & intelligentia perfuderat, nequitsimæ fallacium impostorũ pręstigię detegerentur, arguerentur, refutarentur ac prorsus obtererentur. Nam qua tempestate, inquit Eusebius, Hæretici per omnem locum Zizaniorum modo pura verbi Dei semina maculare, & areas Apostolicæ doctrinæ adulterina admixtione fœdare primûm conabantur: eadem tempestate Sacerdotes Domini velut vigilantes Agricolę excutere eorum & expugnare mala semina nitebantur, & tanquàm solliciti Pastores lupos gregibus Christi insidiátes, clamoribus simul insectationibúsque repellere, commonendo fratres, instruendo, scribendo etiam longè positis, ipsos quoque interdum, sicubi coram deprehendissent, cominus perurgendo, & verborum lucta ac disputationum certamine prosternendo: alij etiá posteris consulentes, quæstiones eorum & peruersas obiectiones editis Commentarijs confutando.

Li. 4. c. 24. Eccl. hist.

Studia Catholicorũ contra hæreticos.

Semper enim Dominus suę Sponsę admirabilem curam gerens, quandocunque tempestaté vllam suborituram prospicit, diui-

diuinos & præstantis ingenij ac doctrinæ viros excitat, quorum magisterio & ductu populus regi, & nauis Ecclesiæ, ne fluctibus obruatur, gubernari & cōseruari possit. Sic olim Agrippa Castor prodigiosa Basilidis figmenta validissimè repressit. Sic Theophilus Antiochenus, & Philippus Gortinensis Ecclesiæ Episcopus, & Bardesanes Syrus impiam Marcionis phrenesim eximijs lucubrationibus & monimentis refutarunt. Sic Musanus elegantissimo libello Encratitarum delitia detexit. Sic Claudius Apollinaris, sic Miltiades, sic Apollonius Montani hæresim & disputādo, & scribendo refellere aggressi sunt. Sic pestem Arianam Magnus Athanasius, Basilius & alij complures excellentes viri, tum disputationibus, tum scriptis libellis luculentissimè profligarūt. Sic Donatistæ & Pelagiani eruditissimis Augustini, Hieronymi aliorumq; complurium disputationibus prostrati sunt & euicti. Et ne plura repetendo prolixior sim, id quidem & breuiter & vere dicturus nullius reprehensionem pertimesco, nempe quod nullam hactenus vnquàm venenatæ contagionis plantam per suos satellites & Pseudoapostolos Sathanas protruserit, quam falce Euāgelica veraces Christi præcones non præcîderint & amputarint.

Qui & quales viri pro catholica fide cōtra hæreticos depugnarunt.

Eus. lib. 4. c. 8. Eccles. histor.

Li. 4. c. 24

lib. 4. c. 30.

lib. 4. c. 28.

Lib. 5. c. 15 17. 18.

Nulla hæresis enata, quæ per

catholicos non sit cō futata.

Quæcunque enim vſque ad hanc noſtram ætatem emerſerunt & pullularunt hære-ſes, doctorum hominum diſertis & graui-bus ſcriptis retuſæ ſunt & eliſæ. Schiſmatū quoq; rupturæ eorundem ſolertia & cu-ris reconcinnatæ fuerunt. Vnde bonam ſpem concipio, quòd benigniſsimus Cor-poris ſui Saluator, & Eccleſiæ amantiſsi-mus Sponſus Chriſtus Ieſus, has, quibus hodie populus fidelis diſcerpitur & dila-ceratur, tragicas ac planè tartareas turbas breui conſopiturus ſit.

Sperandū eſt, has tur bas ſedari poſse ali-quando.

Interim illud nobis animum addere po teſt, quòd iam proſpiciamus, iſtos procel-loſos nimbos non modò non obeſſe, ſed multum nobis prodeſſe, ſi modò tales nos præſtiterimus, quales nos videri volumus & optamus. Quod eſt enim ab Auguſtino de hæreticis ſcriptum, id quoque perinde de Schiſmaticis intelligendū puto. Nēpe quòd qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumq; ſapiunt, ſi correpti vt ſa nū rectumq; ſapiant, reſiſtunt contumaci-ter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtūt, Hæretici fiunt, & forâs exeuntes, haben-tur in exercētibus inimicis, etiam ſic quo-que veris illis Catholicis membris Chriſti malo ſuo proſunt, dum Deus vtitur & ma lis bene, & diligētibus eum omnia coope-rantur

De Ciuit. Dei lib. 18. Cap. 51.

Rom. 8.

rantur in bonum. Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcētur vel malitia deprauentur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: si tantummodo male sentiendo aduersantur, exercent eius sapiētiam: vt autem etiam inimici diligantur, exercēt eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, siue suasibili doctrina cum eis agatur, siue terribili censura vel disciplina.

Quomodo Ecclesia variè exercetur à schismaticis, & hæreticis, & Christianis malis.

Neque certè alio aptiore epiphonemate hanc nostrā argumentationem concludere possimus, quàm illo, quo D. Augustinus est in eodem argumento vsus: Nimirū quòd Diabolus Princeps impiæ ciuitatis aduersus peregrinantē in hoc mundo Ciuitatem Dei vasa propria cōmouendo, nihil ei nocere permittitur. Cui proculdubio & rebus prosperis consolatio, vt non frangatur aduersis, & rebus aduersis exercitatio, vt non corrumpatur prosperis, per Diuinam prouidentiam curatur, atq; ita temperatur vtrunq; ab alterutro, vt in Psalmo illam vocē non aliūde agnoscamus exortam: Secūdùm multitudinem dolorū meorū in corde meo, consolationes tuę lætificauerūt animam meam. Reuera enim per ipsorum, qui veritati contradicunt, qui vnitatem oppugnant, peruersitatem & malitiam efficitur, vt & veritas clarius atq;

Diuina prouidētia qua Ecclesiā tuetur.

Psal. 93.

apertiùs manifestetur, & vnitatis charitas maiore in pretio apud pios habeatur. Nã huiusmodi oppugnationibus strenui & spectabiles Christi milites, qui optimè Scripturas callent, & in populo Dei latitant, adigunrur ad dissoluendum arduas & difficiles ab Hęreticis inuentas quęstiones, & ad ea, quæ inuoluta & abdita fuerant, explicanda. Nunquid, vt Augustini verbis vtar, perfectè de Trinitate tractatũ

In psal. 54.

est, antequam oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de Pœnitẽtia tractatum est, antequã obsisterẽt Nouatiani? Sic nõ perfectè de Baptismate tractatum est, antequã contradicerent foris positi Rebaptizatores: nec de ipsa vnitate Christi enucleatè dicta erant quę dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa vrgere cœpit fratres infirmos, vt iam illi, qui nouerant hæc tractare atque dissoluere, ne perirent infirmi, solicitati quæstionibus impiorum, sermonibus & disputationibus suis obscura Legis in publicum deducerent. Quodque antea iam factum fuisse intelligimus, idem hodie quin faciendum sit, non dubitemus: scilicet, quòd per sceleratissimum Schisma & fœdissimam multarum hęresum illuuiem, quę hodie quasi quodam præcipiti gurgite in populum Dei inundauit, quosdã Dominus suscitaturus sit ad veritatis & vnitatis

Ante hæreses exortas nunquam perfectè de Catholica fide tractatum est

Ec-

Ecclesiasticæ defensionẽ, qui propter multiplicẽ sacrarũ literarũ cognitionẽ possint, propter fraternum amorem, ea, quę hodie quorundam nodosis & obscuris inuolucris implicata sunt, explicare, quę spinosis & fallacibus argutijs conuulsa sunt, tueri & defendere, quæ vel hæresi euersa, vel schismate dilacerata & dirupta sunt, denuò extruere & reconcinnare & velint, & studeant. Tales Ecclesiæ Pastores & inuictos sanæ doctrinæ Propugnatores ex ista maligna assultatione excitandos & acuẽdos, quid ni speremus? cùm superioribus temporibus semper ex istiusmodi pugnis & congressionibus absolutissimi veritatis Præcones & Athletæ corroborati fuerint & perpoliti.

Illud quidem non est vulgare nec contemnendũ, quòd ex tanto malo consequimur emolumentum, quod Christiani populi Duces & fortiores & validiores efficiũtur, & ad huiusmodi conflictus deinceps tolerandos, paratiores ac magis instructi. Quẽadmodum enim milites veterani, qui frequẽter cum hoste decertarũt, & cõpluribus prælijs & suas & hostium vires ac impetus experti sunt, quique & ipsi alijs plagas & vulnera inflixerunt, & ab alijs illata pertulerunt, cõstantiore pectore prę lium inire, & cautius, & maiore cum ma- 3. Commodum ex hæresi & Schismate.

gna-

gnanimitate & prudentia dimicare, & difficilius ſuperari ſolent, imò potius ſuperari ſe non ſinunt, qui ſemper ſuperiores in prælio fuerunt: ita & Præſides Eccleſiarũ ac DuctoresDominici exercitus, hęretico rũ pugnis & Schiſmaticorũ iniurijs laceſſiti & exerciti, maiores vires conſequuntur, altiores animos in Chriſto ſummo ſuo Imperatore concipiunt, hoſtilemq; impetum repellere, & pro fide propugnare aſſueti, non ſolùm vim & impreſsionem cõtradicentium nõ reformidare, ſed ſemetipſos athletas inuictos & inexpugnabiles præſtare didiceruet. Neq; certè cuiuſquá virtus & fortitudo prius cognoſcitur, qùá congreſsione & pugna exploratur. Facile eſt enim conſiſtere in ordine, quando nulla eſt concertatio, quando hoſtilis incurſio non pertimeſcitur, quádo nullus adeſt hoſtis cum quo manus conſerantur. At cum arma contrà aſſumuntur, cum gladij ſtringũtur, haſtę vibrantur, tela intorquentur, tormenta diſplodũtur, ſagittæ in faciẽ collimantur: tum quidem elucet animi magnitudo, tum cernitur & peruidetur, quáta ſit & quàm inuicta pectoris fortitudo, tum declaratur, quantũ quiſq; & animi & roboris habeat. Similiter in ſpirituali lucta quá cum Hæreticis & Schiſmaticis perpetuis ſuis hoſtibus Chriſti Sponſa Eccleſia
gerit,

gerit, ſplendidior & illuſtrior fit eorum, qui ſe inſuperabiles præſtiterunt, victoria.

Atque etiam ex iiſdem malis hoc tantũ boni aſſequuntur, qui ſtrenuè pro fide & Eccleſiæ integritate pugnant atq; Apoſtolica dogmata contra impiorũ protaruos aſſultus tuẽtur & tenẽt, vt nec vereantur cuiuſquã, licet Principis, licet præpotẽtis Satrapæ, licet diri tortoris & tyrãni minas & ſupplicia, ſecũdùm Saluatoris conſiliũ, qui præcipit, dicẽs: Nolitè timere eos, qui occìdunt corpus, animam autem nõ poſſunt occidere: ſed potius timete eũ, qui poteſt & animã & corpus mittere in Gehennam. Ac proinde cũ Apoſtolo audacter dicere poſſunt: Ideo habẽtes hanc miniſtrationẽ, iuxta quod miſericordiã cõſequuti ſumus, nõ deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulãtes in aſtutia, neq; adulterãtes Verbũ Dei, ſed in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos ad omnẽ conſcientiã hominũ corã Deo. Non celant, non contegunt, nõ abſcondunt ſub modio Verbũ Catholicæ & Apoſtolicæ veritatis, ſed palã & ingenuè, quoties opportunitas ſeſe obtulerit, confitentur, imò verò & opportunè, & importunè prædicant, & eos, qui contradicunt, liberè & ſeuerè ſui erroris arguũt & cõuincunt, dicẽtes cum Propheta & Apoſtolo: Habentes

Ducum ſpiritualiũ in ſpiritua li lucta fortitudo elucet.

4. Commodum.

Matth. 10.

2. Cor. 4.

eundem ſpiritum Dei, ſicut ſcriptum eſt: Pſal. 115. Credidi, propter quod locutus ſum: & nos 2. Cor. 4. credimus, propter quod & loquimur. Niſi enim crederent, niſi Spiritu feruerent, ſeſe prudentes ac ſcientes pro veritatis & vnitatis patrocinio periculis & vitę diſcrimini non offerrent.

Accedit etiam, quòd circumlatrantiũ Hæreticorum impuro vlulatu & immani 4. Commodum. Schiſmaticorum feritate ipſa Catholicę doctrinæ maieſtas, atque conſenſionis & cõcordiæ amplitudo, & charitas eminentior efficitur & clarior. Magis enim emicat candor, cum atra nigredo propè admouetur: De tẽpore Serm. 92. & ſicut Auguſtinus ſcripſit: Thuribula ęrea, id eſt, hęreticorum voces, ſi adhibeamus ad Altare Dei, vbi diuinus ignis eſt, vbi vera fidei prædicatio, melius ipſa veritas ex falſorum comparatione fulgebit. Nam ſi doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet, & nullis extrinſecus hæreticorum dogmatum aſſertionibus cingeretur, non poterat tam clara & tam examinata videri fides noſtra. Sed idcirco doctrinam Catholicam contradicentium obſidet impugnatio, vt fides noſtra non otio torpeſcat, ſed multis exercitationibus elimetur. Iſtiuſ- 5. Commodum. modi etiam impugnatione quaſi quodam attritu, ſi quæ inerat, rubigo defricatur, iſto tẽtationis igne ſcoria excoquitur, hoc tri-

tribulationis flagello palea excutitur, denique tali flumine inundante non solùm sordes eluuntur, verumetiam Ciuitas Dei lætior efficitur, & magis fœcunda. Verna enim temperies & amœnitas post brumalem algorem gratior est & iucundior, ac post copiosos imbres terra abundè irrigata feracior fit, & vberiorem segetis prouētum profundit. Similiter & Ecclesia, posteaquam ex his tantis malis emerserit, & ampliore gaudio exultat, & pleniore solicitudine ac vigilantia in assiduum studium veritatis asserendæ ac propagandæ incumbit, & ne quid deinceps consimilis calamitatis irruere possit, solerter præcauet.

Neq; sanè inter minima emolumēta & cōmoda haberi debet, quòd illi, qui tāquā grana in area permanent, nec ab ea vlla vi ac tempestate excutiuntur, cum aliorum ruinas vident, ipsi non solùm dolore, quē ex fratrum interitu capiunt, sed metu etiā afficiuntur interdum, considerantes suam ipsorum imbecillitatem, ne & ipsi tententur, aut qui iam stant, postea dilabantur & concidant. Diuinam igitur opem assiduis & puris precibus implorant, ad illius præsidium confugiunt, illum inuocant, ardēter precātes, vt is, scilicet salutari suo Spiritu, & cælesti gratia, & misericordia ipsos 7. Commodum.

in ve-

in veritatis obſequio, in obedientia ortho doxæ fidei, & Catholicæ Communionis vnitate perpetuò cõſeruet. Hinc illę Prophetæ vehementiſsimæ precationes: Diſ-
Pſal 67. ſipa, Domine, gentes (hęreticorũ & Schi-
Pſal. 73. ſmaticorũ ſcilicet) qui bella volũt. Exurge Domine, iudica cauſam tuã. Tua eſt enim cauſa, quãdo mendacijs veritas impetitur, quãdo ſectis & ſciſsionibus electæ tuę Columbæ vnitas diſtrahitur & diſsipatur.
Cant. 6. Memor eſto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab inſipiente fiunt tota die. Tua enim improperia haberi debent, contumeliosa conuitia, quę in tuam Sponſam Eccleſiam Catholicã intorquentur. Nec enim inſipiens Sathanę Synagoga vnquã ceſſat, inſidias, maledicta & contumelias contra Chriſti fidẽ & Eccleſiã cõminiſci. Hinc flebiles illæ voces: Quaſi in ſylua lignorum, exciderunt ianuas eius, in idipſum: in ſecuri & aſcia deiecerunt eam. Incenderunt igne Sanctuarium tuum in terra, polluerunt Tabernaculum Nominis tui. Et rurſum altero in loco ſub nomine vineæ conculcatæ, deplorat Eccleſiæ euerſionem, ac precatur, vt Deus eam reædificare dignetur, & priſtinę dignitati reſtituere: Vt quid
Pſal. 79. inquiens, deſtruxiſti maceriam eius? Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de ſylua,

ua, ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eá, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi.

Quibus ex omnibus manifeſtè conſtat, Hæreſes & Schiſmata temerè non accidere, ſed diuina benignitate permitti, vt populus credentium Catholicorũ eiſdẽ multum adiuuetur. Nam & Deus, qui iuxta miſericordiã ſuam copioſam per inexhauſtæ ſuæ Bonitatis diuitias malorum hominum ſcelera non ſolùm ad iuſtitiæ & potentiæ ſuæ declarationem, ſed etiam ad electorum ſuorum vberiorem ſalutem conuertere ſolet, per Hæreſes & Schiſmata Eccleſiæ ſuæ otium & torporem diſcutit, probatos viros manifeſtos facit, & tanquam aurum in fornace, ſic piorum fidẽ & conſtantiã puriorem reddit & purgatiorẽ, ſordes eluit, cautionem imprimit, timorem & ſolicitudinem ſalutarem inijcit, diligentiam acuit, orandi ſtudium excitat, atque vt ad Deum & illius præſidium in tantis periculis & calamitatibus pij confugiant, efficit. Magnum itaque & fructuoſum cumulum ſalutis per iſtiuſmodi tentationes & procellas Electis ſuis apportat & affert. Sed hæc quidem hactenus, iam reliqua tentemus.

Recapitulatio commodorum & epilogus totius Capitis.

Quan-

Quantopere contubernium & Communio Schismaticorum vitari debeat, & Scripturarũ testimonijs, & veterum & priscorum Patrum docetur exemplis.

CAPVT. VI.

ETsi sordidissima Schismatis sentina propter teterrimos, qui inde exhalant fœtores, & maxima ac grauissima tùm corporis, tùm animarum dispendia & detrimenta, ab omnibus Catholicis & verè pijs Christianis, summopere declinari & caueri debeat, ipsaque per se amabilis pacis & concordię amœnitas, vniuersos suo ad se splendore inuitare & allicere possit: tamen vt id altius hominum mentibus infigatur & fixius inhæreat, pauca quædam tùm ex sacrosanctis Dei Oraculis, tùm ex primitiuæ Ecclesię consuetudine, & sanctissimorum Patrum factis in eandem sententiam adijcere, nō est visum superuacaneum nec inutile. Ac primùm illud quidem vniuersos multum permouere debet, si modò secum ipsi cōsiderare velint, quòd quàmdiu in vnitate Ecclesiæ, & inter membra corporis Christi permanserint, omnium bonorum, quæ in Christi Ecclesia dispensantur, participes sunt. Sicut enim palmes in vi-

Qui in vnitate Ecclesiæ manet,

in vite inhærescens, illius, qui è radice in omnes ramos propagatur, humoris pro sua natura & mediocritate est capax, & sicut membrum quod in corpore manet, nō solùm vitalis spiritus, naturalis caloris, sed & reliquorum quoque eiusdem corporis membrorum valetudine & incolumitate fruitur, quemadmodum & Apostolus docet: Si gloriatur, inquiens, vnum membrū, congaudent omnia membra: sic & qui inter palmites veræ vitis, & in spirituali mébrorum Christi compage ac societate perseuerat, is profectò tùm immensis illis cælestis, quæ in Christo est, gratiæ donis ac beneficijs, tùm reliquis singulorum mystici corporis Christi membrorum fructuosis ac sacrosanctis operibus & officijs pro suo modulo & captu potitur ac gaudet: adeò vt cum Propheta dicere possit: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

omnium bonorum Ecclesiæ sunt participes. *Iohan. 15.* *1. Cor. 12.* *Psal. 18.*

Revera ingens est & incomparabile quoddam solatium, cum quis sic secum meditatur & cogitat: Licet egomet indignissimus peccator propter mea grauissima scelera & flagitia, nec quicquam salutariter agere, nec Diuinam opem obtinere meis votis & precibus sim idoneus, licet torpidus ac segnis sim, & ad pietatis exercitia imparatus ac impeditus, tamen iuxta

Cōsolatio magna, cū quis cogitet, se esse in vnitate Ecclesiæ.

orthodoxá fidem credo Sanctorum Communionem, id est: Me, quàm diu Catholicę Ecclesiæ morigerus sum filius, eorum qui in eiusdem mecum Ecclesię consociatione perseuerant, ardentissimis & perpetuis precibus, atque assiduis & continentibus vigilijs & ieiunijs, largissimis eleemosynis ac cæteris, quæ religiosissimè à sanctissimis viris fiunt, pietatis operibus, subleuatum iri, propter arcanum illum Spiritus sancti nexum, quo quidē vniuersi in vnū corpus coalescētes, omnia Sancta inter nos cōmunia habemus. Itaq; licet ipse nō orem, pro me tamen orant quicunque per orbem ter-
Nota. rarum in hac fide orant: licet ipse non ieiunem, tamē eorum abstinentia & ieiunijs fruor propter hanc mystici Corporis communionem, qui vsquam gentium religiosè ac sanctè ieiunant: licet ipse lecto decumbam, tamen fratrum meorum vigiliæ mihi & adiumento, & solatio esse possunt: & propterea licet meæ preces indignæ sint quæ à Deo audiantur, tamen Christi Spōsæ charissimæ & illius Electorum pro me preces dignæ sunt, quæ apud Deum valeant: licet mea ieiunia infructuosa, vigiliæ inertes & languidæ, eleemosynæ steriles & aridæ sint, tamen apud Electos Dei hæc omnia fœcundissima sunt, eaque mihi, vtpote eiusdem corporis membro prosunt. Huc

Huc apponi & illud debet, quòd qui in Christi Ecclesiæ vnitate persistit, is quidem cùm sit membrum Christi, omnium eorum, quæ Dominus olim pro salute humana gerebat, piorum operum, imò & precum quoque, quas olim fecerat, quas etiamnum sedens ad dexteram Patris, & pro nobis (vt Apostolus docet) interpellans facit, iuxta fidei ac profectus sui analogiam capax efficitur, & illius cælestis gratiæ, quæ à Christo Capite in singula sui corporis membra per Spiritum sanctum defluit, & distribuitur, sicuti potest, & illi expedit, partem haurit. Tantum enim quisque exuberantis illius Diuinæ beneficentiæ & donationis percipit, quantum capacis animi & dilatatæ mentis attulerit. Illius enim salutaris ac diuini fontis affluentia vniuscuiusque cor & pectus cælesti rore sic perfundit & irrigat, vt tantum cuique impertiat, quantum quisque capere possit. Et quò minus vberius & redundantius in nos influat, nostræ præpediunt angustiæ, nostra obstat segnities, nostra incredulitas aut imbecilla fides est impedimento: sed tamen quàmdiu in membrorũ mystici corporis compage hæremus, tantorum beneficiorum pro nostro captu sumus participes.

Qui est in vnitate Ecclesiæ, oĩm Christi operum sit particeps.

Rom. 8.

Gratiæ Christi, vt est Caput Ecclesiæ, vnusquisque pro capacitate sua fit particeps si maneat in vnitate Ecclesiæ.

At si nos aut per obstinationem propriam ab hoc Christi corpore præciderimus, aut per aliorum seductionem & fraudes abstrahi sinamus, tum quidem, sicut membrum amputatum vitali spiritu caret, & sicut exectus palmes arescit, & in igné mittitur: ita & nos segregati ac distracti, & Diuina cælestis Spiritus afflatu orbamur, & nostrarum cupiditatum flamma arefacti, pabulum æterni & inextinguibilis incendij efficimur. Meritò ergo mortales omnes Apostolus vehementer exhortatur, ne sese à societate Christi abduci patiantur: Nolite, inquiens, iugum ducere cum infidelibus. Quę enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quę societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus Templo Dei cum Idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniá inhabitabo in illis, & inámbulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorũ, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus Omnipotés.

Schismatici nec bonorum operũ Christi, nec gratiæ eius, & spiritus sancti, participes sunt.

2. Cor. 6.

Leuit. 25.

Esa 52.

Ierem 31.

At dicturus est quispiam: Quorsum hęc è Paulo adfers? Paulus dissuadet societa-

tem & consuetudinem iungere cum infidelibus, sed Schismatici, contra quos tuus hic calamus stringitur, licet à cœtu piorū abcesserint & seorsum segregentur, tamen & ipsi se credere profitentur, & inter credentes censeri possunt. Audi, obsecro, quam ego ad te rationem allaturus sum, cur hæc Pauli verba contra Schismaticos & Hæreticos afferam, monens ne quis vitæ consuetudinem cum illis inire velit.

Rectè credentes dicuntur orthodoxi, qui suæ fidei amussim Catholicam retinent doctrinam, quam à Catholicæ Ecclesię magisterio didicerunt. Illorum autem omnium est vna fides, vnus sensus, eadē mens & sententia. Illi verò, qui ab hac se societate subducunt, atque hanc integram fidē non admittunt, sed quædam sua somnia & commenta loco Catholicæ fidei obtrudere volunt, quatenus fidei sunt desertores, non modò infideles haberi debent, sed ipsis etiam infidelibus deteriores. Peiori enim loco cēseri debet is, qui fidem semel imbibitam prodit ac abijcit, quàm is, qui fidem nunquam imbiberit. Schismatici quoque, quoniam ab vnitate corporis & Spiritus seiuncti sunt, & sua sponte seclusi, & Spiritu sancto carent qui neminem viuificat extra Christi corpus, quique fidē & charitatē in cordibus suorū trāsfundit,

Ephes. 4.

Schismatici & hæretici nō solū infideles, sed infidelibus deteriores.

ſine quo recta & viua fides non eſt, increduli meritò exiſtimari poſſunt: vtpote qui à Chriſto & illius Catholica fide abſtrahantur. Si quis enim ſpiritū Chriſti non habet, hic non eſt eius. Contra quam fidem, aut præter quam fidē, quicquid vel ab Hæreticis, vel à Schiſmaticis contingitur & excogitatur, id quidem nihil aliud præter incredulitatem & perfidiam duci, & iudicari poteſt. Quid enim apud illos præter craſſam infidelitatem regnare putandum eſt, qui Catholicam Chriſti fidem vltro abdicauerunt, atq; ad ſectas & ſchiſmata profugerunt?

Rom. 8.

Religio, inquit Auguſtinus, neq; in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neq; in cæcitate Iudæorum quęrēda eſt: ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici & orthodoxi nominantur: id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes. Si Religio Chriſti apud Schiſmaticos quærenda non ſit, non magis quam apud Paganos, Hęreticos & Iudęos quoniam perinde omnes ſpiritus gratiæ expertes ſunt: profectò ſimul cum illis numerari debent. Rectè igitur & illud Pauli conſilium, quo præcipit, ne iugum cum infidelibus ducamus, huc applicatur, vt ſuadeamus orthodoxis, & Catholicis viris

De vera Religio. lib. i. Cap. 5.

Schiſmaticos cum infidelibus eſſe numerandos.

viris, ne sese vel Schismaticis, vel hæreticis, qui vtrique infidelibus peiores sunt, in seruitutem dedant, aut iugum infidelitatis & discordiæ simul cum illis portent. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?

Catholicos no debere cu schisma ticis conso ciari.

Summa quidem iustitiæ est, vt obediatur fidei in omnibus, vt intellectus humanus seipsum in obsequium Christi captiuet, vt idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis Schismata. Maxima itaque iniquitas est, vt rationibus & cogitationibus nostris fidem Dei subijciamus, vt eam pro nostra voluntate mutemus aut fingamus, vt angustis ingenijs nostris illius Maiestatem metiamur, vt nos non fidei, sed fidem nobis seruire cogamus, vt dissidia seminemus, & Schismate Ecclesiam Christi dilaceremus. Quæ ergo participatio Catholicæ fidei & vnitati Ecclesiæ, per quam, & in qua est vera iustitia, cum hæresi aut Schismate, in quibus est grauissima iniquitas? Aut quæ societas luci ad tenebras, id est, veritati Dei ad errores & impia Hæreticorum deliria: aut etiam eorum, qui per vnitatis charitatem in lumine versantur, cum illis, qui per odium fraternum, pacem & concordiam rumpunt, & in tenebris oberrant?

Rom. 1.
2. Cor. 10.
1. Cor. 1.

Qui enim diligit fratrem, inquit Aposto-
1.Ioan.2. lus, in lumine manet : & qui odit fratrem suum, in tenebris est. Aut quę conuentio Christi ad Belial? Christus pacis
Ioan.14. author, suis pacem commendauit: & Belial & diabolus simultatis & dissidij disseminator, inter ipsius seruos lites & iurgia serit. Ergo quę cōuentio potest esse Christo, qui vnitatem Ecclesiæ stabiliuit, cum Belial, qui Schismata & sectas introduxit? Diabolus enim est scissuræ & sectarū propagator. Aut quæ pars fideli cum infideli? Nunquid, inquit Apostolus, qui fidem & fidei vnitatem tenent, vllam habent cum illis portionem, qui vel à fidei doctrina ad hæresim, vel ab vnitate credentium ad furiosa fanaticorum Schismata desciuerunt? Vtriq; certè infideles comprobantur, tùm quòd doctrinæ veritatem, tùm quòd concordem Ecclesiæ consensum proteruè repudient.

Atque hoc loco percommodè incidit il-
Amb.de. obitu fratris. lud, quod B. Ambrosius de obitu fratris sui Satyri ait, quòd quamuis Lucifer pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hęredes, tamen non est fides in schismate: & licet fidem erga Deum teneret, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebat, cuius patiebatur velut artus diuidi & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam

Chri-

Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit: non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius Passio, Corpusque distrahitur. Huius igitur sententia etiam hi, qui sibi fidem integram habere videntur, vt simplici Schismate nullaque præterea Hæreseos labe contaminati fuerint, infideles sunt. Nam si fideles permansissent, nunquam Ecclesiæ societatem deseruissent. Quòd si Apostolus eos, qui curam suorum, & maxime domesticorum, non habuerint, fidem abnegasse, & infidelibus deteriores esse pronunciat, & si eos, qui contaminati sunt & sceleribus inquinati, quamuis ore Deum confiteantur, factis tamen negare, & incredulos esse asseuerat: nónne Schismaticos quoque, & Hæreticos, simul cum Infidelibus connumerare oportebit? Nam vtrique curá domesticorum, & eorum qui in eadem secũ familia Christi habitauerunt, adeo abiecerunt, vt illos asiduè oppugnent, & vtriq; aut Schismate, aut hæresi sint sordidati.

Etiam simplici schismate astricti esse infideles.
1. Timot. 5.
Tit. 1.

Qui, inquit, consensus Templo Dei cũ Idolis? Templum Dei singuli Christiani dicuntur, quòd eorum membra Templũ sunt Spiritus sancti qui in illis habitat. Templum etiam Dei vniuersi simul fideles populi appellantur, quemadmodum & Apostolus hoc in loco sese explicans ostédit,

Templum Dei sunt & singuli Christiani & vniuersi fideles.
Vide Aug. Ep. 57. ad Dardan.

dit, dicens: Vos estis Templum Dei viui. Non loquitur hîc ad singulos tantùm, sed ad vniuersos simul: quasi diceret, Vos vniuersi in fidei vnitatem collecti, & aggregati, Templum & Ecclesia Dei viui estis atque domus Dei. Id quoque prophetico veteris Scripturæ testimonio astruit, hæc adijciens: Sicut dicit Deus: Quoniá
Leuit. 26. inhabitabo & inábulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Templú itaq; Dei hoc loco dicitur, vniuersus cœtus credentium populorú, in quorum cordibus Christus per fidem inhabitat. Idola autem, vel vana Hæreticorum
Nouorú tépo rú idola. commenta, vel peruersa Schismaticorum conciliabula, quę quidem extra Ecclesiam fabrefacta, contra Ecclesiá perpetuò belligerantur, non absurdè intelligi possunt. Quemadmodum enim Idolorum cultus extra Ecclesiam erigitur, ab Idololatris magnipenditur, atque à fide & communione Christi abducit: sic & hæreses ac Schismata extra Ecclesiam excogitantur, fouentur & augescunt, à suis vel Architectis, vel Symmistis tanquam Dij coluntur & magnifiunt, atque à fide & communione Christi mobiles & inconstantes homines segregant. Nuncupantur igitur iure optimo Idola. Quærit itaque Apostolus: Qui cótensus Templo Dei cú

Ido-

Idolis? id est, quomodo poterit Christi Ecclesia, quæ est Templũ & Domus Dei super petram exædificata, vlla in re vel minima, vel maxima, consentire cum Sathanæ Synagoga, in qua Hæreses & Schismata, tanquam quædam Idola, ab illis, qui à fide & vnitate populi Dei deciderunt, extruuntur & adorantur? Quid aliud, quęso, est quam Idolum, quando humani cerebri somnium & commentum pro Verbo Dei venditatur? quando Diaboli conciliabulum & prostibulum, se pro Christi Sponsa ostentare audit?

Recte itaque consulit & hortatur Apostolus verbis propheticis, dicens: Propter quod exite de medio eorum, & separamini. Cum hortatur, vt recedamus de medio eorũ: quos, quæso, intelligit? Non certe intelligit improbos huius seculi, & Paganos, & nõ credentes populos. Ad eos enim Euãgelici Pręcones missi sunt, vt cõuertãtur ad fidẽ & gratiã Christi Et si improbos ac malos hoĩes intelligeres, certè de hoc nos mũdo exire mãdaret, quoniã semper vsq; ad triturationẽ & ventilationẽ areæ, quę futura est in nouissimo die, palea simul cũ tritico in Dominica area, & mali cũ bonis permixti in Ecclesia, tanquã vasa aurea, & testacea, alia ad honorẽ, alia ad cõtumeliã, in magna Dei domo existũt.

2.Cor.6.
Esai. 52.
de quorum medio sit exeundum
1.Cor.5.
Math.13.
2.Tim.2.

Ergo

Ergo per eos, de quorũ medio exire præcepit, Schismaticos qui concordiam & pacem scindunt, & hæreticos qui fidem & doctrinam populi Dei violant, intelligendos putamus. Et quid est illud: Exite? Nõ aliud protectò, quàm quod sequentibus exposuit, nempe: Immũdum ne tetigeritis. Immundum autem est, quicquid vel spurcitiem hæreticam, vel sedisiosum Schisma sapit. Ab ijs autem non solùm fixo animi proposito & destinata mentis voluntate abstinendum, sed etiam eorum contubernia, qui tantas pestes in populum Dei inuehunt, fugienda sunt. Sic enim monet Apostolus, dicens: Hæreticum hominem post vnam aut secundam correptioné deuita. Et quare deuitandi sunt? Quia multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum tanquam cancer serpit. Istiusmodi enim contagia sanas partes corporis facillimè corripiunt, sicuti sani homines pestilenti tabe cito corripiuntur, si modò ad illum, qui lurida & contagiosa peste inficitur, temerè accedunt, & sicut integræ pecudes ab ijs quæ scabie laborant, afficiuntur, si in eodem grege esse sinantur. Et sicut medicus, dum ægrotum curare cupit, aliquoties ipse eâdem ęgrotatione affectus decumbit: ita quidem fieri consueuit, vt qui hæresi ac schismate affecti sunt, eos, qui

Quid sit exire.

Tit. 3.

2. Tim. 2.

qui integri & incolumes fuerant, potius saucient, quàm ab illis sanentur.

Vitandi itaque sunt, quia vt cancer depascit integras partes corporis, sic illorum irreligiosus & blasphemus sermo mentes piorum sensim labefactat, & ad impietatis suæ societatem pellicit. Nam vt qui in sole ambulant, etiamsi ipsi id nō sentiant, tamē solis ardore obfuscantur, & nigrescunt: ita & qui cum maledicis & impijs veracis doctrinæ oppugnatoribus familiariter conuersantur, & eorum sermones libenter audiunt, paulatim relanguescunt, atque eam, quam prius tenuerunt, fidei cōstantiam & vigorem relaxant & amittunt. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua, & modicum fermentum totam massam infermentat. Quam ob rem ab illis secedendum est iuxta Diuina monita, ne eàdem simul cum illis peste corripiamur, eodémque pariter interitu inuoluamur. In mentem enim nobis venire debet, quod Dominus ad Moysen in illo perniciosо Chore & Dathan dissidio loquutus sit, & dixerit: Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis Chore, Dathan & Abiron: & quòd Moyses idipsum illico fecerit, mandans ac dicens. Recedite à tabernaculis hominum impiorū, & nolite tangere quę ad eos pertinent, ne inuoluamini pec-

1.Cor.15.

1.Cor.5.

Num.16.

Nō authores solum schismatis sed & ij, qui cū eis versantur, puniuntur

ni peccatis ipsorum. Iubentur itaq; ab illis semigrare, ne iisdē pœnis & supplicijs plectantur. Neque enim solùm Chore, Datran & Abiron perierūt, sed & qui ab illis iuxta Dei mādatum noluerunt discedere.

Non ergo illi, qui sunt Schismatū authores tantùm, sed & quicunque illis adhęrescunt, diuina vltione flagellantur. Ignoratis, inquit Chrysostomus, quid illis acciderit, qui Chore, Dathan & Abirō sequuti sunt; Num tres illi soli perierunt? Annō & qui cum illis faciebāt? Quòd si hîc iram Dei euaserint, in extremo tamen iudicio, vt ait Bernardus, facientes & cōsentientes pari pœna puniētur. ibi fures & socij furū similē sunt accepturi sententiam, ibi par subibunt iudicium, & qui lactant, & qui lactantur peccatores. Fugiendi itaq; sunt, quicūq; schismatum satores sunt: recteq; nos admonet & hortatur Sanctus Martyr Cyprianus in aureo suo de Simplicitate Prælatorum Libello quē quidem dignum iudico, non solùm vt legatur & relegatur, sed ad verbū etiā edificatur: Vitate, inquiēs quæso vos, eiusmodi homines, & à latere atq; auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete. Sicut scriptum est: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum: Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ.

Homil. 11. In 4. Eph.

Ber. ep. ad Adam mo nach.

De simplicitate Prælatorum

Eccles. 20

2. Cor. 15.

mæ. Docet Dominus & admonet, à talibus recedendū: Cęci sunt, inquit, & duces cæcorū. Cæcus aūt cæcum ducens, ambo in foueam cadent. Auersandus talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Peruersus est huiusmodi & peccat, & à semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus Sacerdotes Christi facit, qui sese à Cleri eius vel plebis societate secernit? Arma ille cōtra Ecclesiā portat, cōtra Dei dispositionem repugnat, hostis Altaris, aduersus Sacrificiū Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequēs seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis, cōstituere audet aliud Altare, precē alterā illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatē per falsa sacrificia profanare, nec scire, quoniā qui cōtra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciā diuina animaduersione punitur. Sic Chore, & Dathan & Abyron, qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificantes, licentiam vendicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus penderūt. Terra cōpagibus ruptis in profundū sinum patuit, stantes atq; viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantùm eos, qui authores fuerunt, Dei indignatis ira percussit, sed & cęteros ducētos quin-

Matth. 15.

Tit. 3.

Preces schismaticæ.

Numer. 16.

quinquaginta participes eiuſdem furoris & comites, qui coagulati cum eiſdem ſimul ad audaciam fuerunt, exiens à Domino ignis properata vltione conſumpſit: admonens ſcilicet & oſtendens, contra Deum fieri, quicquid improbi ad deſtruẽdum ordinationem Dei humana voluntate conati ſunt. Hactenus ex illo eruditiſſimo Sancti Martyris Cypriani libello.

In Epi, ad Philadelp. Huc etiã & adſcribi poterit, quod eſt à Beato Ignatio ſcriptum: Fratres, ne erretis: ſi quis eum, qui ſe à veritate diſiungit & diuidit, ſequitur, regnum Dei non hæreditabit: & ſi quis nõ recedit à faltiloquo præcone, in Gehennam condemnabitur. Fugiendi itaque ſunt, qui ſimultatibus & diſsidijs pacem Eccleſiaſticam perturbant, qui contra Eccleſiam rebelles, turbas & diſſenſiones diſſeminant, qui diuinę vo-

Matth. 18. luntati aduerſantur & reſiſtunt. Id enim & Dominus præcepit in Euangelio, dicens: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Id in veteri Teſtamento præſignificauit, quando prohibuit

Exod. 34. Iſraelitis, ne fœdus cum Chananeis coniungerent. Ne ineas, inquit, pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cũ dijs ſuis & adorauerint

Deutro. 7. ſimulachra eorum, vocet te quiſquam vt comedas de immolatis. Caue itaque ne vn-

vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam, ſed aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucoſque ſuccide. Per illos infideles populos rectè intelligi poſſunt hęretici & Schiſmatici, qui à veraci fide ad commentitios errores, ab orthodoxa cõmunione ad ſceleratas ſeceſsiones, vafrè ac veteratoriè Fideles auocant. Illorum itaq; conſuetudines ac familiaritates vitandæ ſunt. Nam ſi is, qui picem tetigerit, ab ea inquinatur, & qui cum ſuperbo communicauerit, induit ſuperbiam: certè & is, qui familiariter cum ſeditioſis Schiſmaticis ac Hæreticis viuit, eorum ſimilis tandem efficietur. Eccleſ. 13.

Ac propterea Apoſtolus obteſtatur pios, vt eos, qui eiuſmodi ſunt, notare & cauere velint. Rogo, inquit, vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt. Huiuſmodi enim Chriſto Rom. 16. Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo vẽtri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Et rurſum: Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Atqui vel olim ſepultas hæreſes ab orco retrahunt, vel

noua & inaudita dogmata promulgát, vel seorsum in obscuris angulis conciliabula sua congregant, & ab Ecclesiastica obedientia & vnitate dehortantur & abstrahunt, offendicula & dissensiones præter doctrinam, quam in Catholica Ecclesia didicerunt, faciunt, nec secundùm Apostolicam traditionem vitam instituunt, atque idcirco iuxtà diuina oracula deuitádi sunt. De illis scriptú est: Si quis vobis an-
Gal.1. nunciauerit pręter id quod accepistis, anathema sit. Et iterú: Si quis aliter docet,
1.Tim.6. & nõ acquiescit sanis sermonibus D.N Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, qui veritate priuati sunt.

En, qualibus & quàm appositis elogijs illos depingat Apostolus, qui se subducút ab orthodoxa fide & communione, & ad errores ac factiones secedunt. A quibus propterea recedendum est, ne vel illorum blanditijs deliniti, vel consuetudine seducti, simul & ipsorum peccatis & supplicijs obnoxij efficiamur. Audiui, inquit Euangelista in sua Apocalypsi, vocem de cælo dicentem: Exite de illa, popule meus, &

ne participes sitis delictorum ipsius, & de plagis eius non accipietis. Qui autem his cælestibus oraculis admoniti, à Schismaticorum & Hæreticorum contubernio sese non recipiunt in tranquillum Catholicæ Ecclesiæ sinum, ij sine dubio & delictorũ socij, & pœnarum efficiuntur participes. Apocal.18.

Ab ista proinde fallaci meretrice, & ab hoc Sathanæ prostibulo longissimè est fugiẽdum, cuius labia à Spiritu sancto dicũtur esse stillantis faui instar, id est, vana, ficta & fallacia, licet promissa eius suauissima sint. Regnũ enim cælorum sine cruce & afflictione suis sequacibus pollicentur, cùm Scriptura dicat: Si cõpatimur, & cõregnabimus. Et rursum: Arcta est via, quę ducit ad vitam: atq; etiam adijciat: Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo spurij estis, & nõ liberi. Cuius guttur oleo nitidius dicitur esse, proptęrea quòd primo aspectu ingentem præ se splendorem & spectabilem quandã speciem ostendat: nouissima tamen illius amara quasi absynthium, propterea quòd posteaquam dulcibus blandimentis & falsis erroribus fuerint irretiti, statim turbulentis cogitationum æstibus iactantur, & asperrimis sauciatæ conscientiæ aculeis pungũtur. Lingua aũt istius Babylonici scorti est acuta, quasi gladius biceps.

Prouerb.5.
Schismatis & Hæretis tanquam scorti Babylonici, elegans descriptio.
Rom.8.
2. Tim. 2.
Matth.7.
Luc.13.
Hebr. 12.

 Nam

Nam acerbis ſuis & maledicis conuitijs & eos qui in cæleſti ſunt gaudio, & eos qui in hoc ſæculo adhuc militant, proſcindit & dilacerat. Sed pedes eius deſcendunt ad mortem, & ad inferos greſſus eius penetrát: primo quidem ingreſſu amœna videtur & delectabilis, ſed quò longius fueris progreſſus, eò quidem altius infigeris, & propius ad interitum perduceris. Iſta eſt via lata, quæ ducit ad perditionem, de qua etiam Spiritus ſanctus dicit: Quòd eſt via, quæ videtur homini recta, nouiſ-
Prouer.14 ſima autem illius deducunt ad infernum. Qui autem pedes, quiue greſſus intelligẽdi ſunt, niſi deprauata & fanatica dogmata, quibus homines ad perniciem perducit, ob eamque rem vagi dicũtur greſſus eius,
Greſſus hæreticorum, vagi. propterea quòd eorũ, qui à veritate exciderunt, doctrinæ inconſtantes ſint & mutabiles? Suas enim ſententias & opiniones in ſingulos menſes, imò propè dies figunt, & refigunt, ſtatuunt & tollunt, probant hodie, quod heri improbabant, cras improbaturi, quod hodie receptum eſt.

Nihil itaque apud illos, qui huic Babylonicę ſe meretrici addixerunt, certum & immotum, nihil fixum & diuturnum. Recteq; conſuluit Salomon dicens: Nunc
Prouerb.5. ergo, fili mi, audi me, & ne recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viam tuam,

& ne

& ne appropinques foribus domus eius. A domo autem illius procul est recedendum, quoniam illos præcipites agit in tartarum, quos semel suis præstigijs dementarit. Inclinata est enim ad mortẽ domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertẽtur, nec apprehendent semitas vitæ. Reuera qui poculo Babylonici istius scorti inebriati semel sunt, quique hæreseon fascino perstricti & exoculati, schismatisue laqueo capti & irretiti, difficillimè explicantur vixque magno labore ac diligentia ad sanitatem reduci possunt. Multò profectò celeriùs ac citiùs paganum & ethnicũ ad rectam fidem lucrifacere, quàm Christianũ ad hæresim & schisma prolapsum, recuperare poteris. Non autem ideò dictum est, eos qui ingrediuntur ad eam, non reuerti, quòd impossibile sit, eos ad mentem & sanitatem redire, aut quòd nulli eorum, qui sic sunt decepti, reuocẽtur: sed quod ægrè, & non nisi summa quadam cum difficultate reuocari solent, & quòd à seipsis, nisi diuina gratia subleuentur, sese ad Ecclesiam Dei recipere nequeunt.

Prouerb. 2.

Difficulter reuocari possunt prolapsi in hæresin aut Schisma.

Cùm itaque tantum periculum illis immineat, qui in cænosam hanc foueam demergũtur, qui ad istud Sathanæ prostibulum, ad hoc hæreticorum conciliabulum

ſeſe volentes aggregant: oportet eos, qui animarum ſuarum, & æternæ ſuæ ſalutis cura tanguntur, ſolicitè proſpicere, ne qua parte impingant, ne qua ratione in tantum malorum barathrum aut prudentes, aut incogitantes inducantur Id quidē efficient, ſi prima allectamenta reſpuere, ſi illecebroſas eorum, qui errores diſſeminant, ſuadelas & incantationes aſpernari aſſuerint, iuxta illud ſacroſancti Spiritus conſilium: Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec tranſeas per illam: declina & deſere eam. Non enim dormiunt, niſi cum malefecerint. & non capitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantauerint. Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. Verè quidem pane veſcuntur impietatis, & vinum iniquitatis potant, qui repudiata Eccleſiaſtica Communione, & ſacroſanctis ac tremendis Corporis & Sanguinis Chriſti Myſterijs profanatis, pro Carne Domini, pollutum panem, pro Redemptionis ſanguine, ſacrilegum & ſchiſmaticum porrigunt & adminiſtrant potū. De quibus prælocutus eſt Ieremias Propheta, dicens: Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, cōculcauerūt partem meam, dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſoli-

Prouer. 4.

Hæretici & ſchiſmatici quomodo cōedunt panē impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.

Ier. 12.

ſolitudinis, poſuerunt eam in diſsipationem. Quæ autem portio Domini deſiderabilis, niſi eſca illa cæleſtis Corporis ſui & Sanguinis, qua ſuos paſcit, quam noui Teſtamēti nouam oblationem eſſe voluit? Hanc autē amabilem & deſiderabilē Domini portionem ſic ſuſtulerunt, & in tantā ſolitudinē adduxerunt, vt nuſquam apud illos nec Altare ſit, nec Sacrificiū. Inſuper, poſuerunt hanc deſiderabilem portionē in diſsipationem. Tot enim apud illos de Eucharistia ſunt penè diſſentientes opiniones, quot Eccleſiæ: tot diuerſæ adminiſtrandi illius Sacramenti formulæ, quot Prouinciæ, imò ciuitates, aut Sectæ. Illorum ergo interitum Propheta prænūtiat, dicens: Væ paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus: populumq; ſuū adhortatur Deus, ne huiuſmodi mēdacibus magiſtris attendant. Nolite, inquiēs, audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos. Viſionē cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Dixerunt ijs, qui blaſphemāt me: Loquutus eſt Dominus. Pax erit vobis. Et omni, qui ambulat in prauitate cordis ſui, dixerunt: Non veniet ſuper vos malum.

Nota.

Ier. 23.

At hic aliquis obiecturus eſt: Ij qui hodie ſe Euangelicos nominant, quos tu

Obiectio.

Schiſmaticos & hęreticos iudicas, eò quòd vnitate Ecleſiaſtica rupta, foras receſſerunt, & doctrinam ac fidem Catholicę Eccleſiæ impugnant, non loquuntur ſui cordis viſionem, non blaſphemant Deum, nō adblandiuntur ijs, qui in cordis ſui prauitate ambulant. Imò quidem hæc ſingula deſignant & admittunt flagitia Cacangelici illi, qui ſe Euangelicos eſſe iactitant.

Resp.

Primò quidem ſui cerebri ſomnia & ſui cordis viſionem loquuntur, quando adulterinum ſenſum à ſeipſis confictum ſacris Dei oraculis affingunt. Nam quoties Scripturas à verò & genuino intellectu ad ſua propria & priuata dogmata detorquent, & ad alienum & commentitium ſenſum trahunt & accommodant: nónne ſui cordis viſionem loquuntur? Qui tametſi verba ſacra prætendunt, tamen quoniam ſacrarū Literarum mentem non ſequuntur, ſed ad ſua eas deſideria violentè applicant: non ex ore Domini loquuntur, neque Spiritus ſancti voluntatem, ſed cordis ſui viſionem Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis cōmunire pergunt & confirmare. Nónne in eo, quòd priuatas ſuas interpretationes Catholicæ intelligentię anteponuut, iuſtè arguuntur, ſui ſolummodo pectoris cogitata proferre? Quid, cùm non Diuinam voluntatem, ſed ſuam propriam intelligen-

Hæreticos loqui ſui cordis viſionem.

tiam ex verbis Dei eliciunt & exugunt: nónne cordis ſui viſionem loquuntur? Deus aliud intellexit, ipſi aliud ex ſacris Dei oraculis eruunt & comminiſcuntur. Ergo non os Domini ſequuntur, ſed ſui cordis commenta. An ego ſecundùm hominem hæc diſputo? Annon & Scriptura idem dicit? Ipſam igitur Scripturam de vero Scripturæ intellectu cõſulamus: Hoc, inquit, primùm intelligite, quòd omnis Prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Scriptura de ſe contra iſtos Scripturarum deprauatores teſtis eſt. Scriptura, quæ in communi omnibus Fidelibus eſt tradita, priuatam & peculiarem cuiuſquam vnius hominis interpretationẽ recuſat, tãquàm notham & illegitimam. Sed quicunq; ab orthodoxo & Catholico ſenſu ac intellectu recedant, ſuas priuatas commentationes ſectantur, Catholicam intelligentiam refutant: Ergò non quod os Domini loquutum eſt, ſed quod ingenij ſui partus profuderit, & cor eorum machinatur & confingit, loquuntur & docent.

Scripturã non eſse priuatæ interpretationis.

At hic rurſum nobis occurritur ab hominibus veritatis cupidis, ſed non dum planè in Diuina cogitatione inſtructis &

Obiectio.

exercitatis, quærentibus quomodo cõstare poterit, Catholicã intelligentiam esse verã & germanam Sacrarum literarũ interpretationẽ. Quod quidẽ si modò animum attendere voluerint, statim expediemus, idq; vt diuina ope fretus cõfido, summa cum breuitate & luce. Apostolus docet, Scripturas propheticas nõ humana volũtate, sed à Spiritu sancto prolatas esse. Hinc aũt consequitur, eas interpretationes, quæ humana voluntate, quãuis acutè, quãuis ingeniosè, quamuis subtiliter excogitatæ fuerint, esse adulterinas & alienas: eum aũt sensum, quem Spiritus sanctus dictauerit, esse rectum & germanũ Scripturę intellectũ. Iam igitur dispiciendũ est, quæ interpretationes humana voluntate confingantur, & quę sit illa intelligentia, quam Spiritus sanctus suggerit.

Respon.

Catholicã Scripturæ intelligentiam esse veram & germanã.

Humana voluntas absque lumine & irradiatione Spiritus sancti caliginosa est, ac propterea quæ ab humana voluntate prodeunt interpretationes, vagæ sunt & errabundæ. Cùm enim homines suas voluntates suaque ingenia in Scripturarum interpretatione sequuntur, fieri non potest, quin in varias & inter se contrarias sententias diuellantur. Quisque enim sui cerebri & ingenij partum maximè admiratur & suspicit, ac proinde fit, vt quot

sunt

ſunt homines, tot ſint ſententiæ. Contrà verò quoniã Spiritus Dei vnus eſt, ea, quę à Spiritu proficiſcitur, intelligentia vna eſt: & quoniam Spiritus veritatis magiſter eſt, ea, quam Spiritus ſanctus ſuggerit, verax eſt interpretatio. Et quoniam Spiritus Scripturas per viros diuinitus afflatos tradidit: ea profectò Scripturarum explanatio, quam Spiritus docet, genuinus eſt & germanus earundem Scripturarum intellectus. Sed is eſt Spiritus ſancti ſenſus, quem Chriſti Sponſa Eccleſia Catholica amplexatur: Catholica itaque interpretatio eſt genuina Scripturarum mens & intelligentia. Nam & ea interpretatio, quę Catholica eſt, non huius aut illius hominis eſt, nec vnius alteriúſue ingenioſis argutijs effecta, ſed vniuerſorum eſt Fidelium qui hodie ſunt, qui hactenus fuerunt, qui deinceps futuri ſunt: imò potius ipſorum nõ eſt (niſi quatenus eam approbent & amplexentur) ſed Spiritus ſancti eſt, qui facit vnanimes in domo, & eãdem ſingulorũ & vniuerſorũ mẽtibus inſpirat & infundit intelligentiã. Pſal.67.

Qui igitur Catholicum Scripturę intellectum ſequuntur, hi non interpretationẽ priuatã, nec cuiuſquã vnius hois volũtate confictã, ſed diuinitus traditã, & per Spiritũ Dei in vniuerſorũ rectè credẽtiũ mẽtibꝰ

inſcriptã

inscriptum sequuntur. Cumque hæc Scripturarum interpretatio à Spiritu sancto fluit, vna est eorũ omnium, qui huic obediunt, mens & sententia. Contrà verò, quę humana volantate excogitatæ sunt interpretationes, hæ quoniam ex capitibus varia sentientibus confinguntur, multiplices & diuersæ sunt. Huius rei exempla nimis multa sunt in promptu. Olim contra Ecclesiam infesta signa gerentes Ariani, suas huic Scripturæ (Ego & Pater vnum sumus) commentationes affingebant, eosq; omnes, sicuti à vero aberrantes, ita & inter se dissentientes. Nam sicuti omnes vnitatem substantiæ negabant, quod quidẽ Ecclesia perpetuò credidit & docuit: sic inter se discordabant, alij quidem similem per omnia Filium Patri, alij dissimilem esse astruebant, alij alia sua figmenta tanquá Ecclesiastica depromebant dogmata. Hodie autem ab istis, qui de Euangelio gloriantur, suaque monstra hoc nomine adũbrare student, quantæ, quàm dissentaneæ & inter se discordes interpretationes adducuntur super his claris Domini vocibus. Hoc est Corpus meũ? Non est autem huius instituti, singulorum priuatas super hæc verba interpretationes huc intertexere, neque certe necesse est. Nam & alij excellentes viri nostri suis lucubrationibus abundè

Vnam esse catholicorũ oĩm mẽtem in scripturis, hæreticorum verò contrà.

Lib. 10. Eccles. Hist. Ruffino authore.

abundè præstiterunt. Hoc autem loco satis est his duobus exemplis commonstrare, priuatas Hæreticorum sententias, vtpote à sua ipsorum voluntate fluentes & proprio cerebro excogitatas, non solùm cùm sint multiplices, inter se pugnare, sed adulterinas esse, atque à Sacrarum literarũ germano intellectu plurimum abhorrere. Cùm igitur apud populum sua inuenta promant, quid aliud, quæso, quàm quod est à Propheta dictum, visionem cordis sui loquuntur? Cauendi itaq; sunt & summoperè fugiendi. Sic enim Dominus prę- Matth. 7. monuit: Attendite, dicens, vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, id est, qui sua peruersa & deprauata dogmata Sacris Dei vocibus táquàm agninis velleribus obtecturi sunt, vt cùm lanæ mollitiem præsentias, dentium aculeos minus reformides. Sed tamen ab illis, iuxta Domini præceptum, nobis est attendendum. Nam intrinsecus sunt lupi rapaces. Vincent. Lirinens.

At hîc fortè percontaturus es, Christiane Lector, quo pacto ostendi id poterit, quod in sequentibus Prophetæ vocibus comprehenditur: nempe, quòd hi, qui se Euangelicos dici volunt, vel blasphemát, vel illis, qui Deum blasphemant & in prauitate cordis sui ambulant, mollibus & Hæretici aut blas- blan-

phemant au: blaſphemantibus applaudunt.

blandiloquis vocibus applaudunt. Id quidem tibi expediat Christi Apoſtolus Petrus, qui de huiuſmodi mendacibus magiſtris verba faciens, ait: Dominationem contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere. Et poſteà:
2.Petr.2. Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionẽ & perniciẽ in his, quæ ignorant, blaſphemãtes. Huic alter quoq; teſtis paris authoritatis & fidei adſtipulatur:
Iud. epiſt. hi, inquiens, carnẽ quidem maculant, Dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant. Et rurſum: hi autem, quæcunque quidem ignorant, blaſphemant: quæcunq; autẽ naturaliter tanquã muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in via Cain abierũt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Chore perierunt. Ecce, quomodo ab Apoſtolis blaſphemi dicuntur, qui ab Orthodoxa & Catholica fide & ſocietate ad ſectas & errores deficiunt. Et ne quiſquam verba Apoſtolorum in alienum ſenſum caperet, ſignatè loquuntur de iſtis, qui Sectas non metuũt introducere, qui compendij & emolumẽti ſui cauſa vnà cum Balaam contra agnitam veritatem niterentur, & ſimul cum Chore legitimis Sacerdotibus contradicerent. Reuera quidem cuncti Hæretici & Schi-

Schiſmatici blaſphemi ſunt, quòd ſuis cõtumelijs orthodoxos Epiſcopos proſcindere nõ pertimeſcãt. Nã quę cõtra Christi Sacerdotes intorquentur conuitia, in ipſum Christũ redundant, ſicut ipſemet teſtatur: Qui, inquit, vos ſpernit, me ſpernit. Et Apoſtolus idipſum docet, dicens: Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui dedit Spiritum ſanctum ſuũ in nobis. Quæ ergo contra ſanctos Dei Sacerdotes & orthodoxos Epiſcopos euomuntur ab impijs Hæreticis & Schiſmaticis ignominioſa probra, ea quidem in contumeliam ac blaſphemiam Dei tendunt.

Omnes hæreticos & ſchiſmaticos eſse blaſphemos vel in ſacerdotes Dei, vel in Spiritum ſanctum.
Lu 10.
1. Theſ. 4.

Cæterùm ſi accuratius hanc cauſam penſitemus, cõperiemus vniuerſam illã Sectariorum turbam in Spiritum ſanctum eſſe cõtumelioſam & blaſphemam. Nam cùm alia dogmata diſſeminent, & contraria illis, quæ Spiritus Dei Eccleſiæ Christi tradiderit, eamq́ue doctrinę formulam, quã à Spiritu ſancto Eccleſia Catholica hauſit & accepit, damnent: nónne conuitioſi ſunt in Spiritũ ſanctum, quẽ Christus Doctorem ſuis & pollicitus eſt, & reliquit, quaſi is ſuũ in regẽda Christi Spõſa officium neglexerit? Rurſum cùm ab vnitate & ſocietate Catholicæ Eccleſię per nefariũ Schiſma ſecedunt, atq; alios ab eadem auellere conãtur: nónne palã Christo & illius ſacro

Spi-

Spiritui reclamant, & aduersantur, quasi minus sanctè, aut parum fœliciter vnitatē Ecclesiasticam cōglutinarit? aut quasi ipsi extra Ecclesiam ad fœliciorem statū suos sequaces promouere valeant, quàm Christus suos in concinna corporis sui compage prouexerit? Quænā, quæso, indigniorue contumelia, aut maior blasphemia esse potest? Et ne te pluribus detineam, cum negant Christum simul in cælo, & in Eucharistia præsentem esse posse: nónne eius omnipotentiæ detrahunt? Quando item inficiantur, Ecclesiæ preces defunctis animabus prodesse: annon derogant gloriæ & Maiestati Domini Iesu? qui in hoc mortuus est, & resurrexit, & reuixit, vt viuorum ac mortuorum dominetur? Vel etiam ipsius veracibus promissis fidē derogant, quibus pollicitus est, quòd quęcúque credentes petimus, accepturi sumus? Quid, an non horrenda est blasphemia, testamentum à Deo confirmatum aut violare, aut inuertere? Sed isti id facere sunt ausi.

Heretici detrahunt omnipotētiæ Dei, & gloriæ ac maiestati eius.

Rom. 14.

Nam cùm Deus Abrahæ promiserit, quòd in semine ipsius benedicerētur omnes Gentes, & cùm Pater Christo donarit Gentes hæreditatem suam, & terminos terræ possessionem suam, & cùm Spiritus sanctus polliceatur, dicens: Et benedi-

Hæretici & schismatici Testamentum Dei violāt.

Gen. 12. 22.

Gal. 3.

Psal. 2.

gen-

centur in ipso omnes Tribus terrę, omnes Gentes magnificabũt eum: & cùm ab eodem Spiritu sit præuaticinatum, quòd Regnum ipsius sit Regnum omnium seculorum, & Dominatio ipsius à generatione in generationem: & cùm in Euangelio dicatur, quòd Regni eius non erit finis: tamen singuli Sectarij ad suas solummodo factiones Regnum Christi & Testamentum Dei pertinere contendunt, & cum illis pariter illuxisse Christi Euãgelium, simulq; cum ipsorum erroribus, vel sopitis, vel vltro marcescentibus, vel profligatis, Christi Euangelium extinctũ esse clamitant, contra apertas Scripturas ad angulum quempiam aut ad aliquod tẽpus veritatem Dei alligantes, & Ecclesiã Christi attringentes, quam Deus per omnes populos propagandam, & successione fore perpetuam, veridicis oraculis prædixit. Quo quid magis blasphemum ac cõtumeliosum esse potest?

Psal. 71.
Psal. 144.
Luc. 1.

Iam verò & illis, qui has suas blasphemias amplectuntur, miserè deceptis homuncionibus pacem pollicentur, libertatem eis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis, & ijs, qui ambulant in cordis sui prauitate, superba vanitatis verba cõtra simplicem Christi veritatem loquẽtes, dicunt: Non veniet super vos malum.

Hæretici & sectarij quomodo miserè decipiunt quosdã vanis pollicitationibus
2. Petr. 2.

Nam suis Discipulis omnia fausta & fortunatá promittunt, etiamsi nec mortificationem carnis, nec Christi Crucem humeris gestent, sed ventri, gulæ, voluptati indulgeant, & contra Canones Ecclesiæ, contra legem Dei & Christi, indicta ieiunia violent, votaq; Deo nuncupata per incæsta coniugia dirumpant, etiamsi vsuris & fœnore opes iniuste corradant & accumulét, & infinita mala perpetrent, dúmodo præfractè & pertinaciter imbibitos semel errores retineant & tueantur, & ab eorum secta non resiliant. De quibus Dominus dicit: Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos. & ipsi prophetabant. Et alio loco ait: Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. At Ambrosius aliter eos admonuit: Si Iesum, inquit, quæritis: contritos lacus deserite. Christus enim non ad lacum, sed ad puteum sedere cósueuit.

Ier 23.

Ier.2.

Ambr in fine Lib 1. de Spiritu sancto.

Profectò qui extra fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam fodiunt, quem Dominus in Catholica Ecclesia posuit, cisternas quidem fodere possunt, sed laceras, sed aridas, quæ laticem purum nec fundere nec seruare possunt. Contra quorum fraudulentas astutias Dominus

Matth. 24.

nos pręmunire volens, ait: Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. &c. Tunc tradent vos in tribulationem, & occîdent vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, &c. Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducét multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. &c. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, vt in errorem inducátur, si fieri potest, etiam Electi. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est: nolite exire: Ecce in penetralibus: nolite credere. Hæc Dominus in nouissimis diebus, in quos nos reseruati sumus, fore prædixit, quodq́; est ab illo prænuntiatum, id nos hodie videmus impletum. Vnde certò colligamus, fines seculorum in nos peruenisse, atq; omniũ rerũ consummationem instare & in foribus imminere. Iampridem enim multi Pseudochristi, & Pseudoprophetæ insurrexerũt contra rectam fidem, & complures seduxerunt.

Nam cùm nouam Religionem Christianis prius incognitam orbi profundunt, cùm Christi Sacramenta partim tollere,

partim mutilare, partim corrumpere au- ſint, cùm aliam precum & totius Eccleſia- ſtici Miniſterij formam comminiſci & in- troducere non vereantur, cùm falſa & pe- ſtifera dogmata à ſeipſis conficta pro Euá- gelio venditare non pertimeſcant: nónne ſeipſos Pſeudochriſtos & Pſeudopro- phetas eſſe iactitant? Primus Lutherus emerſit apud Germanos: tũ quidem paſ- ſim de eo & illius cacangelio dicebatur: Ecce illic in Germania eſt Chriſtus. Poſt Zuingliani, & Tigurini, & Geneuenſes. Tandem Angli & Scoti à reliquis omni- bus diſiuncti, & in pluribus diſſentiẽtes, proſilierunt. De ſingulis proinde dici- tur: Ecce Chriſtus & illius Euangeliũ eſt Tiguri, ecce eſt Geneuę, ecce eſt in Anglia, aut in Scotia. Atque etiam à quibuſdam di- citur: Ecce eſt in deſerto, id eſt, in Arij, aut Photini, aut Neſtorij iam olim abdi- cato ac deſerto dogmate, aut etiam apud Anabaptiſtas, qui propterea quòd Princi- pum & Magiſtratuum iuga ferenda non putant, publicitus non tolerantur, ſed clandeſtinis receſsibus ſerpentes, ſuas pe- ſtes diffundunt clanculum. A quibuſdam autem, Ecce eſt in penetralibus, id eſt, in Comitijs aut Senatorijs, vel Parliamen- tarijs coitionibus & conſultationibus, aut etiam in Regum & Principum Pala- tijs,

Explicatur locus Matth. 24. Ego ſum Chriſtus &c.

tijs, qui ſinguli poſteaquam ſeſe à Catholica fide ſecreuerunt, nouas Religionum formas ex Conciliariorum ſuorum voluntate & conſenſu ſuis populis procudunt. Sed quid dicit Saluator? Nolite, ait, exire, id eſt, cauete ne à ſocietate Catholicæ Eccleſiæ, quæ eſt Domus Dei, egrediamini. Perſpice, inquit Chryſoſtomus, quomodo cautiores facit. Non dixit: Ite, & non credite: ſed non exeatis, neque introeatis. Vetat itaque, ne vllam cum ſeductoribus ſocietatem ineamus, ne illorum contubernio & commercio vllo pacto fruamur. Hom. 77. in Mat. 24

Sed dicis: Quomodo poſſum non exire ad illos, cùm per Principis noſtri edicta iſta peſtilens illuuies in omnes Regni partes permearit, in omnes pagos, villas & loca influxerit? Quæſtio. Reuera ingens eſt periculũ, ſed tamen à Domino prædictum. Nã hæc eſt illa, quam Daniel & Dominus prædixit, abominatio, quæ in loco Sancto erigitur, impia ſcilicet hæreſis, quæ in ipſo Antichriſti aduentu loca Chriſtianorum occupatura eſt. Reſponſio Dan. 9. Mar. 13. Nam ante illud tempus quorundam ſeductio futura erat, eo autem tempore diuerſarum hæreſeon Eccleſiæ ſunt conſtituendæ. Prius quidem nudi dogmatis ſermones faciebant errorem, nunc autẽ multarum ſunt hereſum Eccle-

siæ constitutæ: Ideo antea vniuscuiusque dogmatis nudum verbum dicebat: Ego sum verbum veritatis, ego sum Christus. Nunc autem singulatim professores diuersarum hęresum dicunt: ecce hîc est Christus, id est, Ecclesia, & illic est Christus, id est, Ecclesia. Antea pauci quidem discedebant, nunc autem populi, Sacerdotes, Satrapæ, Reges, & vniuersæ Prouinciæ, atque integra Regna ad nefariam Apostasiam procurrunt, atque seducti gaudent, ad interitum ducuntur, & rident seducti. Sed tamé, inquit, Chrysostomus, vę pręgnantibus Ecclesijs & nutrientibus, quãdo ipsę de perditione suorũ lamentabuntur & plangent. Ecce quantos videmus de Ecclesia huiusmodi abortiuos & paruulos ductos ad præuaricationis interitum, nunquid aliquis eorum lachrymauit? Nunquid aliquis tristatus est? Sed adhuc ex diuerso abierunt gaudentes. Sed Ecclesiæ dolorem perditionis eorum ipsæ lamentantur & plangunt. Ideo dicit: Væ Ecclesijs prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Et si quidem negligentia Ecclesiarum aut immaturi fuerint nati, aut paruuli, non habentes qui aut informaret eos, aut postmodum consummaret in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, dupliciter væ Eccle-

Chrysost. homil. 49. in Matth. opere imperfecto.

siję

ſijs prægnantibus & nutrientibus in illis diebus, quia & in hoc ſæculo dolorem patientur perditionis eorum, & in die iudicij damnabuntur propter negligentiam & ineruditionem.

Ex his Chryſoſtomi verbis facillimè intelligitur, vnde tāta hodierno tempore à fide defectio cōtingat: nēpe ex eo, quòd populus nō ſit ſatis inſtitutus & catechiſatus in doctrina Chriſti. Vbi enim propter Paſtorū inertiā Eccleſiæ pręgnātes ſunt & grauidę, nec dū pepererint quos in Chriſto conceperint, aut etiam lactantes & paruulos tantùm, qui quouis doctrinę vēto fluctuent & circumferantur, apud ſe foueant: ibi in tā violenta perſecutione neceſſe eſt vt vniuerſa propè multitudo corruat. Erit enim talis tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi. Nā in iſta Antichriſti perſecutione nō ſolùm immanis furentis Sathanę crudelitas ſub titulo clemētię graſſabitur, ſed veritas ab erroribus, fides ab infidelitate opprimetur, adeò vt tormētis cruciādi ſint, qui nō reliquerunt Deum, & ad diabolū tranſire noluerunt. Prius quidem in ignorantia perierant, nunc autem ſcientes ac prudentes pereunt. Et multum ſanè, inquit Chryſoſtomus, intereſt inter illos, qui in ignorantia ſunt & in ignorantia perierunt, & inter illos, qui in

Quare tanta ſit noſtris tēporibus populi à fide defectio.

Epheſ. 4.

veritate quidem nati sunt, propter aliquod autem mundiale sciẽtes ad mendacia trãsierunt, & perierunt in eis. Illi enim forsitan aliquo modo habebunt remissionem: isti autem nullam remissionem habebunt neque in hoc seculo, neq; in futuro, quoniam ipsi sunt qui blasphemauerunt & blasphemant in Spiritum sanctum. Illi iudicandi sunt, quia veritatem non quæsierunt: isti autem condemnandi, quia spreuerunt. Leuior certè culpa est, veritatem non apprehendisse, quàm apprehensam contemnere.

Discrimen inter eos, qui propter ignorantiam perierunt, & eos, qui in veritate nati propter mundana commoda ad mendacia transierunt.

Sed dicis: Quid ergo in tanta strage pereuntium, in tam immensa multitudine eorum qui à fide defecturi sunt, in tot Regnorum lapsu & ruina, quomodo ego me saluum & incolumem potero conseruare? Rectè quidem poteris, si Domini & Apostolorum consilium fueris sequutus. Roges me, quæ sint ea consilia? Quęre à Prophetis, quære ab Euangelistis, quære ab Apostolis, & ipsi tibi indicabunt. Primùm itaque consulamus Sanctum Prophetam Hieremiã. Dic nobis, ô serue Dei: Quod consilium das, optime Hieremia? Hęc, inquit, dicit Dominus Deus: Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suam. Et rursum: Egredimini, inquit, de medio eius populus meus, vt saluet

Quomodo in tãta defectione quis poterit se conseruare.

Hier. 51.

Fugiendo quis saluus fiet.

uet vnusquisque animam suam ab ira furoris Domini. Per Babylonem, quæ confusionem significat, præfiguratur Sathanę Synagoga, in qua omnes promiscuè errores, falsa dogmata, & hæresum vniuersarū colluuies exuberant, in qua lites, simultates, rixæ, dissensiones, & sectæ gliscunt & intenduntur. In qua, sicut olim linguę eorum, qui Turrim Babylonicam vsque ad cælum erigere & ædificare constituerant, sic sunt confusæ, vt vnusquisque proximi sui vocem non audiret, linguam non intelligeret: ita & nunc sermones illorum, qui commentitios errores confingunt, & per inania sua commenta in cælum scandere nituntur, in varias & multiplices sentētias diducuntur, quarum vna tantum abest vt ab altera probetur, vt singulæ inuicem collidantur & pugnent. Ab hac Babylone nos Dominus monet vt exeamus.

Babyloni a confusio quæ.

Genes. 11.

Sed id est quod iam quęrimus, quomodo exire possimus, cùm per vniuersam Prouinciam, per ciuitates, arua, villas atque vniuersas Regiones, Tyrannicis Principum edictis hæc Babylonica pestis propagetur, neque villi ferantur, nisi qui hoc scortum & prostibulum amplexentur, nisi qui errores & Schisma comprobēt: cùm è diuerso Catholica doctrina & fides, eaq; Sacrificij & sacri ministerij formula, quā Spi-

Quomodo fit exeundum à Babylonia cum per vniuersam prouinciā

Spiritus ſanctus per Apoſtolos Eccleſiæ tradiderit, non ſolùm ſit profligata & exploſa, ſed vinculis, facultatum direptionibus, atque etiam morte mulctetur.

ſectæ propagentur,

Quum tam latè Babylon ſit diffuſa: non quidem corporeo motu, ſed paſsibus fidei, quæ per dilectionem operatur, ab illa ad Deum viuum proficiendo fugere debemus. Exeunt, inquit Auguſtinus, multi latenter, & exeuntium pedes ſunt cordis affectus: ac proinde etiamſi corpore permixti adhuc ſumus, tamen deſiderio ſancto diſcernimur. Et licet corporaliter ab illis ſecedere non poſſamus, curandum eſt omni ratione, vt ſpiritaliter ab illis ſemigremus: id eſt, vt eorum errores auerſemur, eorum ſeceſsiones ac Schiſmata exhorreamus, vt ſacrilega miniſteria, ac profanata Sacramenta tanquam venena quædam declinemus, vt nihil quidquam eorum, quæ vel hæreſi, vel ſchiſmate polluta & contaminata ſunt, attingamus. Quum ergo ijs, quæ ab illis ſchiſmaticè gerantur, non aſſentimus, non fauemus, non annuimus, ſed contrà obſiſtimus, reclamamus, atque etiam cum rerum iactura, cum corporis periculo, cum vitæ, ſi Dominus ita voluerit, diſpendio aduerſamur: tum quidem mente & cogitatione à Babylone demigramus.

De Ciuit. Dei lib. 18. Cap. 18. Auguſt in Pſalm. 64.

quomodo ſit ſpiritualiter ſecedendum ab hæreticis & ſchiſmaticis.

Quod

Quod certè satis est, cum corpore ab ea discedere nequimus.

Cæterùm si etiam corporeo ab illis contubernio separari possimus, id quidem inprimis curandum est. Sic enim & Euangelista Domini mandauit: Videte, inquiens, vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit, & nō permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Ecce, prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini. Hæc certè verba diuina, cælo & terra solidiora, diligenter à nobis ponderanda sunt. Habent enim in se maximum salutis nostræ pondus. Ergo vt breuiter perstringamus: videte, inquit, vosmetipsos, id est, omni studio ac diligentia vobis attendite, ne perdatis, quod operati estis, id est, ne vester labor, quem hactenus in fide & professione Christi suscepistis, sit inutilis & vanus. Futurum quidem est, vt priora pietatis studia amittatis, si in eâdem pietate vsque in finem nō perseueretis.

Corpore etiam recedendum ab eis, si fieri potest.

Ep. 2. Ioan.

Explicatur locus Ioānis, Nec Aue ei dixeritis.

ſeueretis. Perſeuerate itaque, vt plenâ mercedem accipiatis. Nam qui perſeuerauerit
Matth.24. in finem, hic ſaluus erit. Ergo qui recedit ab Eccleſiaſtica communione, & ſocietatem Fidelium diſtrahit, & qui non permanet in doctrina Chriſti, quæ Catholica totius Eccleſię & vniuerſorum Fidelium eſt doctrina, ſed ad futilia dogmata & prodigioſas hæreſes dilabitur, Deum qui eſt verax, & veritatis eſt autor, non habet, eò quòd veritate repudiata, mendaces amplexetur doctrinas. Sed qui permanet in doctrina: quæris, quam intelligat doctrinam? Certè non aliam pręter eam, quam vniuerſi Chriſti Fideles ſemper tenuerũt, quæ eſt orthodoxa doctrina ab omnibus Eccleſijs omnibus temporibus recepta, & eam ob cauſam eſt Catholica dicta Qui inquit, in doctrina hac Catholica manet, is & Patrem & Filium habet. Nam nec quiſquam venit ad Chriſtum, niſi Pater illum traxerit, nec quiſquam ad Patrẽ, niſi per Dominum Ieſum prouehitur. Sic enim
Iohan.6. Dominus docuit: Nemo, inquiens, venit ad Patrem, niſi per me.

Ergo Pater trahit ad Filium, & per Filium perducimur ad Patrem, atque vtrũque aſſequimur per Spiritũ ſanctum, qui
1.Cor.12. diſtribuit vnicuique ſicuti vult, à quo renaſcimur per lauacrum regenerationis,

cuius gratia cupiditates omnes, & carnis superamus ardores & infirmitates. Si, inquit Apostolus, spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et rursum: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Hæc ergo Christi Doctrina persuadet, vt Patrem, Filium & Spiritum sanctum credamus, tres distinctas Personas, vnum Deum omnipotentem, & inuisibilẽ, æternum & incommutabilem. Ab hac adoranda Trinitate ea est propagata fides, quam per Ecclesiam Christi vniuersi Fideles didicerunt, & firmiter crediderunt. Quare qui ab hac Catholica doctrina recedit, nec Patrem habet, quoniam mendacem eum facit, eò quòd non credit testimonio quod testificatus est de Filio suo: nec filium habet, eò quòd eam doctrinam respuit, quam Filius Dei docuit: Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, id est, si quis è magistris mendacibus ad vos peruenerit, sed hanc sanam & orthodoxã doctrinam non apportarit, nolite recipere eum in domum, id est, ne committatis, vt vestris officiis illius insania alatur. Altiores enim spiritus concipiet, si vestro illum hospitio dignati fueritis.

Iohan. 5. Tit. 3. Rom. 8. Gal. 5.

Quomodo qui nõ habet Ecclesiæ doctrinam, nec Patrẽ habet, nec Filiũ, nec Spir. sanct. Iohan. 2. 1. Iohan. 5.

Quum quispiam igitur Pseudodidascalus ad vos se contulerit, nolite illum sub tecta ædium vestrarum introducere.

Ea namq; humanitas, qua hominem perniciosum in vestrum familiare cōsortium admittitis, maximum periculum vobis creare poterit & inferre. Nam si in familiam vestram seductor fuerit receptus, ilico tanquam feralis quædam bestia vniuersa vastare, & seditionis incendium fouere non cessabit. Igitur cauendum nobis est, ne quis istiusmodi limen ostij vestri ingrediatur, nec Aue ei dixeritis, id est, nō solùm ab hospitio vestro illum abarcere, & ædiū ingressu prohibere, sed etiā (quod minus est) salutare illum non debebitis. Nam cùm istis fuerit officijs destitutus, cùm nec in contubernium & familiarem vitæ consuetudinem fuerit acceptus, imò (quod leuius est) ne salutatione quidem honorificatus, citius relanguescet ipsius furor, & insana seducendi libido facilè retundetur. Qui dicit illi Aue, communicat operibus illius malignis. Ecce quantum discrimen afferat comis illius impostoris salutatio. Efficit enim, vt tute communices & obnoxius fias illius sceleribus. Et demum, posteaquam amanter & syncerè illos præmonuisset: Ecce, inquit, prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini in cōspectu D. Iesu, eo die, quo illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: propterea ista

1. Cor. 4.

loqui-

loquimur, ne vobis in illo die dicere & vosmet excusare liceat: Nemo nobis de hac re loquutus est, nemo quicquam pręcepit: ignorauimus, neque peccatum esse putauimus. Propterea, inquit, dico & testificor, quòd qui vel Aue ei dixerit, communicat malignis illius operibus.

Vitanda esse cōsortia hæreticorum & schismaticorum ostenditur exemplis primitiuæ Ecclesiæ.

Cæterùm hoc loco peropportunè interserenda sunt ipsa Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ Patrum exempla, vt inde pernoscamus, quantopere hæc Apostoli præcepta seruarint, & quanta solicitudine huiusmodi impostores vitauerint. Ex ipso B. Polycarpo S. Iohannis Euágelistæ Discipulo audiamus, quomodo ipsemet Apostolus suũ pręceptũ seruauit. Is enim, qui (sicut refertur) nõ solùm ab Apostolis est eruditus, & familiariter cũ illis conuersatus qui Dominum viderant, sed ab ipsis Apostolis ordinatus est Smyrnẽsis Ecclesiæ Episcopus, Romam sub Aniceto perrexit, & complures Hæreticos ad Ecclesiá Dei conuertit, hanc solam prædicans tenẽdam esse veritatem, quam ipse sciret se ab Apostolis accepisse, quam & tradebat Ecclesię: & retulit, quòd Iohánes Apostolus Discipulus Domini, apud Ephesum, cùm Balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cerinthum qui fuit Chiliastarum princeps, exiluerit continuò, & dis-

Euseb. l. 4. Ecclés. histor. ca. 14. Iren. l. 3. c. 3. Nicephor. lib. 3. cap. 5.

De Iohãne Euangelista.

& discesserit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cerinthus lauatur veritatis inimicus. Idē etiam ipse Polycarpus Marcioni (qui aliū Deum veteris Testamēti, alium noui prędicabat, & Christum carnem ex Virgine non suscepisse dicebat) cùm aliquando occurrisset dicenti sibi, Agnosce nos: respondit, Agnosco primogenitū Sathanæ. Tanta tūc Apostoli & eorū Discipuli in Religione cautela vtebantur, vt ne verbi quidem cōmunionē cum aliquo eorū, qui à veritate deuiauerant, habere paterentur. Sicut & Paulus dicit: Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita, sciēs quia peruersus est huiusmodi, & peccat, cùm sit à semetipso condemnatus. Clemens Apostolicarum Constitut. Lib. 2. Cap. 65. nullam ait eum excusationem inuenire posse in die Iudicii, qui in Templa Hæreticorum fuerit ingressus. Et Lib. 6. Cap 18. Præcipit Fidelibus, vt ab Hæreticorum consuetudine omnibus se modis abstineāt, nec vllam cum eis sermonis aut precum communionem habeant. Ex his docemur, quanta cura ipsi etiam Apostoli Hæreticorum societatem defugerint.

Euseb. hi. Eccles. l. 3. cap. 28. Ibid. lib. 4 cap. 11.

De Polycarpo Apostoli & eorū Discipuli ne verbi quidē cōmunionē cum hæreticis habere voluerunt.

Tit. 3.

Nunc verò demonstrandum est, quantopere Apostolici viri & primitiuæ Ecclesiæ Patres atque Antistites hoc sibi Apo-

stoli-

ftolicum præceptum putarint obſeruandum. Origenes enim prima ætate ſua inſigne veræ pietatis lumen, vt Euſebius de eo refert, nullo pacto vel pro honoris gratia, vel pro neceſsitate coniunctionis, adduci potuit, vt cum Paulo Antiocheno hæretico vel in oratione ſaltem cõſiſteret. Ita ei à prima ætate Eccleſiaſticæ regulæ obſeruantia honorabilis fuit, & hæreticorum ſocietas execrabilis. Dionyſius verò Alexandrinus exiſtimat, Martyriũ quod oppetitur pro vnitate, ne Eccleſia ſchiſmate ſcindatur, nõ eſſe minus glorioſum, quàm illud eſt, quod ſuffertur ne Idolis immoletur. qui & ad Nouatianũ ſcribens admonuit, non tam idololatriam, quàm ſchiſma fugere eũ debuiſſe. Et cùm Maximus Hieroſolymitanus Epiſcopus in cõcilio Tyrio ſimul cum Arianis, qui contra Athanaſium conſpirabant, conſideret: Paphnutius medium conſeſſum ingreditur, & Maximum compellans, ait: Te ô Maxime, cum quo mihi vnum & idem confeſsionis inſigne eſt, cum quo mihi pariter mortale lumen effoſſum clariorem diuini luminis conciliauit aſpectum, te, inquam, non patiar ſedere in concilio malignantium, & cum iniqua gerentibus introire. Et iniecta manu eleuans eum de medio eorũ, perpetua dehinc Athanaſio

Lib. 6. hiſt Eccl. C. 2. De Origene.

Niceph. l. 5 Cap. 2.

De Dionyſio Alexãd.

Euſeb. l. 6. Cap. 35.

Hieron. in Catalogo.

De Paphnutio.

Lib. 10. Ecclеſ. hiſt. Cap. 17. Ruffino authore.

cõmunione sociauit. Memorabilis sanè est Edessenorũ historia, qui cùm ab hæretico Imperatore graui interminatione prohiberẽtur inter se cõuenire, illius quidẽ minas & edictum contemnentes, aduersa omnia pro orthodoxa fide perpeti erãt parati. Sed ipsa authoris verba satius est adscribere.

De Edessenis. Lib. 11. hist. Eccle. c. 5.

Cum Imperator vidisset populos Ecclesijs eiectos per se in campo habere conuenticulum, tanta dicitur iracundia accẽsus, vt Præfectum suum pugno percuteret: Cur non fuissent inde quoque, sicut iusserat, deturbati. At ille licet esset Paganus & iniurijs ab Imperatore affectus, tamen consideratione humanitatis altera die ad vastandum populum processurus, facit hoc ipsum ciuibus per occulta indicia clarescere, quò scilicet cauere sibi possent, ne inuenirentur in loco. Manè processurus terrorem solito maiorem per Officium mouet, agitque omnia quò quàm minimi, vel (si fieri posit) nulli pericitarentur. Videt tamen frequentiorem solito populum tendere ad locum, currere præcipites & festinare, tanquam vererentur ne qui deessent, ad mortem. Interea videt quandam mulierculam ita festinam & properã domo sua prorumpere, vt nec clauderet ostium, nec operire se, vt mulierum habitum decet, diligentius potuisset, infantem quoque

Muliercula memorabilis constantia in vnitate Catholica.

quoque paruulum secum trahentem, cursuque rapido, irrupto etiam Officij agmine, festinantem. Tum ille vltrà non ferēs: Apprehendite, inquit, mulierem, & huc deducite. Cumque fuisset adducta: Quò, inquit, mulier infœlix properas tam festina? Ad campum, ait, quò Catholicorum populus conuenit. Et non, inquit, audisti quia Præfectus illuc pergit, vt omnes interficiat quos inuenerit? Audiui, inquit, & ideò festino, vt ibi inueniar. Et quo, inquit, paruulum istum trahis? Vt & ipse, ait, martyrium consequi mereatur. Quæ cùm audisset vir moderatissimus, redire Officium & conuerti vehiculum ad Palatium iubet. Et ingressus, ait: Imperator, subire mortem si iubeas paratus sum, opus verò quod præcipis, implere non possum. Cumque edocuisset cuncta de muliere, repressit Imperatoris vesaniam.

Si quęris, sub quo Imperatore hęc tā nefanda & īmania edicta cōtra Orthodoxos lata, tam crudelia facinora designata sint: intelligas impiū Valentē, hęreticis fauentē, orthodoxos exilijs, tormētis, cædibus afflixisse. Illi⁹ enim Imperio durāte, Ecclesia Christi velut persecutionis igne cōflata, purior metallo refulgebat. Nō enim in verbis vniuscuiusq; fides, sed in exilijs &

Ruffinus L. 11. C 2. Lib. 11. Eccles. hist Cap. 6 Ruffino auth.

carceribus probabatur, quia nõ honori erat Catholicum esse, sed pœnæ, idq́; istius historiæ, cuius modò meminimus, euentus docuit. Nam licet Imperatoris sæuitia atque impetus, & violentia Præfecti inuicto & inconcusso piorum robore repercuteretur, & illorum insuperabili fortitudine eo tempore vinceretur: tamen inuidiosus & malignus pietatis hostis ita ab instituto & molimine scelerato non destitit. Duces enim, id est, Presbyteros & Diaconos interrogari pręceptum est, vt vnum è duobus eligerent, aut communicare lupo, aut vrbe pelli, & in quasdam extremas partes destinari. Cumq́ue vniuersos cógregasset, mitibus vtebatur verbis, persuadere nitens, vt leges sequerentur Imperatoris, indicium vesaniæ esse dicens, quòd tanto imperatori pauci homines repugnarent. Tandem autem vniuersis silentium & taciturnitatem tenẽtibus, ipsorum Pastorem Eulogium virum laudatissimum Præfectus sic compellat: Cur non respondes his quę dicuntur à nobis? At ille: Non, inquit, oportet non interrogatú respõdere. Tum Præfectus: Multa, inquit, verba locutus sum, monens vos, quæ satis [illegible]. Porro Eulogius, vniuersis hæc [illegible], respondit, incongruú esse, [illegible] responderet.

Si

Theodoritus tripart. hist. cap. 32 lib. 7.

[illegible]

Si verò, inquit, me ſolùm interrogas, meã declarabo ſententiam. Præfectus ait: Cõmunica poſsidenti Regnum. At ille pacificè & valde benignè ait: Et mihi Regni quoque Sacerdotijque conſortium eſt. Tunc Præfectus irriſionem ſentiens, ſæuiebat, & iniurijs cõtra ſenem vſus, etiam hæc adijciebat: Non hoc locutus ſum, fulminande, ſed quibus communicat Imperator, communicare vos volui. Cumque dixiſſet ſenex, Paſtorem ſe habere, & illius *Relegatio 80. Catholicorum.* nutibus obedire: octoginta eodem tempore deſtinauit in Thraciam.

Ecce quò immanis crudelitas tandem proruperit. Exercitum Dei adunatum *Cypri. li. 1. Epiſt. 1.* aggredi formidabat violentus perſecutor. Nam cùm vniuerſum agmen impeteret, & caſtra Dei turbare vellet, quo impetu venerat, eodẽ impetu pulſus eſt, & quantum formidinis & terroris attulit, tantum fortitudinis inuenit & roboris. Cùm ergo contra vniuerſum ouile parum promouiſſet, ſed gregis adunati fide pariter & vigore eſſet retuſus, id quidem comminiſci cœpit, quod eſt olim non illepido comprehenſum Apologo, quo dicitur, quòd lupi cum ouiculis fœdus inirent, ſi modo canes gregum cuſtodes ab illis ſeiungerentur. Poſtea verò Paſtores canum vigilantia & auxilio deſtituti, dum alto ſopiũtur *Vide Baſilium ep 8. Demoſthenis fabula ad Athen.*

ſomno, ouiculę luporum rabie dilacerantur. Sic certè inſaniens eo tempore Sathanas curauit Paſtores ab ouibus regio edicto ad exilium ſegregari. Id quidem illi ſemper fuit conſuetũ, Epiſcopos à ſuis populis auellere, & lupos in eorum loca reponere. Sed tamen Sancti Patres noſtri Catholici Edeſſeni hác tabidam luem prudenter deuitarunt. Nam nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec quiſquam è plebe à Catholica cõmunione ad ſchiſma diſcedere voluit, ſic firmiter eo tempore Apoſtolica tenebát inſtituta. Sed nos reliqua perſtringamus, & aliarũ quoque Eccleſiarum conſimilem demonſtremus fuiſſe conſtantiam. Samoſateni, cũ Euſebius Catholicus Epiſcopus per Imperatoris mandatũ in exilium fuiſſet exactus, atq; Eunomius illius loco ſuffectus, gemitibus, lamentis, ac queſtibus lachrymabilibus Paſtorem abeuntem proſequebantur, eumq; largis donationibus veſtiũ, ſeruorũ, auri & argenti locupletare volebant. Ille verò paucis & neceſſarijs tantùm à notioribus & ſuis familiaribus acceptis, doctrina & precibus vniuerſos armauit, & ad propugnandũ Apoſtolica dogmata fuit hortatus. Cęterùm cùm Ariana factio, ſpoliato Grege optimo omniũ Paſtore, alium in locũ ipſius Præſulé ſubmiſiſſet:

Conſuetudo Sathanæ Epiſcopos & Paſtores à ſuis populis auellere, & eorũ loco lupos cõſtituere.

De Samoſatenis. Trip. hiſt. lib. 7. c. 16. Theodor. l. 4. ca. 14. & 15.

fiſſet: nemo omniũ, qui vrbem incolerẽt, nõ in paupertate vitã degentes, nõ diuitijs inſtructi, nõ ſeruus, nõ opifex, nõ agricola, nõ hortulanus deniq;, neq; vir aut mulier, neque iuuenis aut ſenex, ad Eccleſiaſticum conſuetè acceſsit Collegium. Itaq; ſolus ille degebat, nullo cũ neque viſente, neq; ſalutante: ſed & quodã tempore cùm ipſe balneo frueretur, multitudinẽq; foris expectantẽ ad cõmune balneũ inuitaret, nemo eſt ad illũ ingreſſus. Quod cùm præ veneratione ſuî fieri ſuſpicaretur, ſurgens ſtatim abijt. Sed ipſi aquam è balneis, qua impurus Eunonius ſuffuſus fuerat, tanquã hæreſeon immũditia coinquinatã, per cuniculos in cloacã emittũt, & recentem parari iubẽt. Quo cognito, Eunomiꝰ vrbẽ reliquit & diſceſsit. In cuius locũ Lucius gregis inſidiator ſubſtituitur. Sed & hunc quoque Samoſateni auerſati ſunt, adeo vt pueri pila in foro delectationis gratia ludẽtes, cùm pila fortè per ipſius tranſeũtis aſini pedes volueretur, exclamauerit, cõtaminatã pilã arbitrãtes. Tanta erat ipſis etiã in pueris hęreſeos deſpiciẽtia, tãto feruore oẽs Apoſtolicã amplectebãtur doctrinã, hęreſãq; & ſchiſmatis odio flagrabãt. Populꝰ quoq; Alexãdrinꝰ, inuicto athleta & orthodoxę fidei propugnatore Athanaſio pulſo, ſeptimana poſt ſacrã Pentecoſtẽ ieiunio

Puerorum confeſsio contra Pſeudoepiſcopum.

De populo Alexandrino.

Theodor. Eccleſ. hiſt lib. 2. c. 14.

 pera-

peracto, conuenit in cæmiterio ad orationem. Nemo enim cum Georgio homine truculento ac sæuo, sani dogmatis persequutore, coniungi sustinebat, licet ipso instigante, à Sebastiano Duce Manichæo diris cruciatibus excarnificarentur.

De Victorino Proconsule. Victor de persecut. Vandal. lib.3.

Neque verò prætereunda est præclara & memorabilis Victorini Proconsulis fortitudo admirabilisque constantia, quo quidem nec quisquam in Africæ partibus ditior, nec apud impium Regem officijs & rebus fideliter pro eo gestis gratior aliquandiu fuit. Huic autem cùm ab Hunerico rege mádaretur & familiariter diceretur, quòd eum præ omnibus habiturus esset, si eius præcepto facilem commodasset assensum : vir Dei missis ad se tale dedit cum fiducia magna responsum : Securus de Deo & Christo Domino meo dico, quæ regi dicatis : Subrigat ignibus, adigat bestijs, excruciet generibus omniũ tormentorũ, si consensero, frustrà sum in Ecclesia Catholica baptizatus. Lege integrá illá historiá, & perspicies, Catholicos multa indigna ac nefanda supplicia pertulisse, vitáq; per crudelissimas carnificinas profundere maluisse, quàm perpeti, vt schi mate Ariano vllo pacto implicarentur.

De Alexandro Con

Neq; verò in hoc genere laudis est prętermittendus Alexander Constantinopolitanus

litanus, qui ne Imperatori quidem in admittendo Ario cedere voluit. Maxima certè fuit populi Constantinopolitani pro Macedonio orthodoxo suo Episcopo, & valde prædicanda solicitudo, quem cùm Anastasius Imperator propter fidem grauissimis iniurijs affecisset & in exiliũ destinasset, multitudo orthodoxorum virorum pariter & mulierum, puerorum, & Monachorum congregatæ sunt, clamantes & dicentes: Tẽpus, Christiani, Martyrij, non deseramus Patrem nostrum, neq; sinamus Imperatorem satagentem, vt Manichæũ & indignũ Imperio, nostrum Episcopum iniurijs lacessere. Imperator verò multitudinem metuẽs, Macedoniũ, de quo iurauerat non se vltro visurum, sponte ad se accersit, & pro eo tempore simulatoriè est cum eo conciliatus, licet ab eodem esset asperè reprehensus, tanquam Apostolicæ doctrinæ hostis.

Constantino politano. Teodor. li. Cap. 14. Nicephor. De populo Constantinopolitano.

Sed Romani populi imprimis celebrãda est magnifica sanè atque inexpugnabilis constantia & virtus, qui cùm Liberius præstantissimus ipsorum Episcopus, post liberam cum Constantio disceptationem atque Catholici dogmatis asseueratione, in exilium truderetur, & in eius locũ Fœlix suus Diaconus ab hæreticis subrogaretur, qui non tam sectæ diuersitate, quàm com-

De populo Romano. Theodor. Eccles. hist. lib. 2. c. 17. lib. 10. Eccles. hist. Cap. 22. Ruffino authore.

Tripartit. histor. li. 5 Cap. 18.

communionis & ordinationis conueniētia maculabatur (nam incorruptam quidem seruabat Niceæ fidem, sed violatoribus eius coniungi non verebatur) nec orationis ædem ingredi, quamdiù Fœlix in ea esset, nec vlla ratione cum Fœlice communicare voluit. Quin cùm Constantius Romæ esset, Magistratuum & primariorum ciuium coniuges obsecrant maritos, vt supplicent Constantio pro Pastore, quò suæ restituatur Ecclesiæ, seque nisi impetrassent, desertis ipsis, ad magnum ipsum Pastoré deuenturas minantur. Qui respondent, se formidare iracundiam Imperatoris, sibique non magnam esse spem veniç, quòd viri essent: vos auté, inquiūt, si supplicetis, ille non lædet. Et horum alterum consequemini, vt aut admittat deprecationem vestram, aut certè nullo malo affectas dimittat. Hac via demonstrata, laudabiles matronæ ad Imperatorem accedunt, pretiosissimis vestibus ornatæ, quò magis Imperator Nobiles ratus, precibus voluntatique eorum gereret morem. Erat autem deprecatio talis. Misereri vellet tantæ ciuitatis spoliatæ Pastore suo, & expositæ luporum insidijs. Sed Imperator respōdit, illam aliquo Pastore non egere, quæ prudentem bonumq; haberet, intelligens Fœlicem loco Liberij

fuisse-

ſuffectum. Sed Matronæ apertè ſignificarunt, neminem è ciuibus Romanis ſimul cum illo communicare voluiſſe. Imperator itaque flecti ſe paſſus, iuſsit optimum Liberium de exilio reuocari, ſed amborũ eſſe cõmunem Eccleſiæ adminiſtrationẽ.

Supplicatio matronarum Romanarũ ad imperatorem pro Catholico ſuo Epiſcopo.

His literis in Circo lectis, exclamauit multitudo, egregiam eſſe Imperatoris ſententiam, qui ſpectatoribus in duas partes diuiſis, & a colore cognominatis, ijs vnũ, itemque alteris vnum præficeret. Ita dicterijs inceſſentes Imperatoris literas, exclamauerunt vno ore (nam & voces ipſas ponere viſum eſt) Vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Epiſcopus. O verè egregiam & omnium præconijs celebrandam populi Romani magnanimitatem, ô ingenuam & viris Romanis dignam libertatem! Non pertulerunt, vt vnà cum Athleta Chriſti & vero Paſtore, adulterinus Pontifex præſideret. Atque poſt has amantiſsimæ Chriſti plebis voces admirabiles, Liberius reuertitur, cui Fœlix cedens, in aliam ſe vrbem contulit. Sed huiuſmodi infinita exempla paſſim in hiſtoria Eccleſiaſtica occurrunt, & hæc, quæ nos commemorauimus, ſatis oſtendunt, quanto ſtudio Catholici Patres noſtri ſemper cauerunt, ne quam omnino cum impijs hęreſum ac ſchiſmatũ

archi-

architectis societatem inirent, ne qua ratione ipsorum aut communione, aut consuetudine macularentur, néue ab orthodoxa & Ecclesiastica regula latum (quod aiunt) vnguem discederent. Insederant enim diuina consilia & monita in ipsorũ mentibus, & quasi in tabulis cordis inscripta fuerant. Ipsi enim didicerant, meliorẽ esse obedientiam, quàm victimas, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum: & quoniam quasi peccatum arioládi
1.Reg.15. sit repugnare, & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere. Apostolicum quoque illud altè in eorum animis ac præcordijs infigebatur. Denunciamus autem vobis,
2.Thess.3. fratres, in nomine D. N. Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Rectè meminerant, quod est ab Apostolo in omnibus Ecclesijs diuulgatum, quòd Deus non sit
1.Cor.14. Gal.5. dissensionis, sed pacis, & quòd dissensiones & sectæ inter opera carnis enumerantur, quę qui faciunt, Regnum Dei nõ consequuntur. Proinde vigilanter ac studiosè circumspicientes sibimet, cauerunt ne vlla vnquàm Schismatis labe aut erroris macula aspergerentur, aut ne leui quidem offensione impingerent & titubarent. Quorum nobis exempla sunt ad imitandum pro-

proposita, vt remissas manus & soluta genua erigentes, rectos faciamus gressus pedibus nostris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Hebr.12.

Cùm igitur tantis diuinarum Scripturarum oraculis à consuetudine & cõmercio seditiosorum Sectariorum auocemur, cùm tam claris Spiritus sancti prohibeamur vocibus, ne vllam omnino cũ illis societatem cöeamus, cùm tam luculentis sanctorum Patrum historijs & memorabilibus gestis satis innotescat, quid à nobis fieri conueniat: annon irreligiosus & impius, imò insanus & amens existimari poterit, quisquis post tá sacra diuinitus prodita præcepta, post tam perspicuas Scripturarum admonitiones, post tam egregia Patrum nostrorum exempla, sese in periculum vltro inijcere, Schismaticorum conciliabula frequentare, & magistris mẽdacibus attendere atq; aurem admouere voluerit? Si is, qui ejusmodi est, in profundum malorũ omnium gurgitem deciderit, non est mirandum, cùm Scriptura dicat, quòd qui amat periculum, in eo periturus sit. Libet igitur hunc locum cum his Apostoli Iudæ sententijs concludere. Vos igitur, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta ab Apostolis D. N. Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in Iud.epist.

no-

nouissimis temporibus venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hij sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, Charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam D. N. Iesu Christi in vitam æternam.

Prima sententia docet, quales futuri sint in nouissimis temporibus, seductores & mendaces magistri, nempe illusores, qui irrideant & subsannēt veram pietatem & Religionem, ac Numinis cultum scommatis, conuitijs ac probris incessere non reformident. quales sunt omnes, qui hodierno die Ecclesiam infestant. Nam castitatis & pudicitiæ, ieiuniorum atque abstinentiæ, paupertatis & obedientiæ professionem infinitis contumelijs afficiunt, cachinnis & sannis prosequuntur. Illusores ergo sunt, quos Apostoli in nouissimis temporibus fore prædixerunt. Itemque hi segregant semetipsos ab Ecclesia Christi, animales, facientes voluntates carnis & cogitationum, Spiritum non habentes, eo quòd à corpore Christi, in quo solo est Spiritus Christi, & extra quod corpus neminē viuificat Spiritus sanctus, sint ex[illegible]

Hæretici nostri temporis à B. Iuda hic describuntur.

& pr[illegible]

& pręcisi. Quid igitur pijs est faciendum, quando tam pestilentes & contagiosi impostores tranquillitatem Fidelium perturbarint? Id scilicet, quod suadet Dei Apostolus: Vos aũt, charissimi, superædificãtes vosipsos sanctissimæ vestrę fidei, id est, fide Catholica primùm pro solidissimo & inconcusso fundamento iacta & posita, super ipsam vosmetipsos tanquam cæleste quoddam ædificiũ erigite, & cauete, ne varijs & peregrinis doctrinis ab ea fide abducamini. Cæterùm etiãsi fidem retineatis, preces non sunt intermittendæ, sed in Spiritu sancto orantes, opẽ Dei & gratiam Christi implorate, quò possitis cõtra Aduersarij assultus immoti stare. Et ne fortè quouis casu aut Sathanæ insidijs in sacrilegi Schismatis ruinam propellamini, dilectionem Dei, quæ est vnitatis custos, diligenter seruate. Sic enim facientes, ab omni hæresi & schismate vobis immunibus esse licebit Nam per scutum fidei omnia ignita hæreticorum tela repellere ac restinguere, & per dilectionem Dei lites, simultates, ac seminaria discordiarum rescindere & amputare poteritis. Per fidem itaque, super quam ædificamini, falsos errores, per dilectionem, qua flagratis, odia & dissensiones, vnde Schismata nascuntur, declinabitis. Heb. 13. Ephes. 6.

Quot

Quot, & quàm variis modis cum Hereticis & Schismaticis communicetur, & qui modi quibus fugiendi, quibus non fugiendi, qui ab omnibus omnino sunt fugiendi.

CAPVT. VII.

CVM hæreticorum vel ſchiſmaticorum communionem & conſuetudinem vitandam eſſe doceamus, coſentaneum quidem eſt, vt demonſtremus, quibus rationibus illorum communioni participetur. Atq; in genere cõperio, quatuor eſſe diuerſa & diſtincta capita, quibus homines in hanc funeſtam Schiſmatis ſocietatẽ demerguntur. Quorum primum eſt, quando familiarem cum illis vitæ conſuetudinem agunt. Ea autem complectitur has ſubſequentes circumſtantias: nempe, ſalutare, colloquia & ſermones quotidianos cum illis habere, communi menſæ accumbere, atque etiam iiſdem gratificari, & opem ac ſubſidium ad nefarios ſuos conatus, ſi quando egeant, accommodare. Alterum, quando ſimul cũ illis ad ſchiſmaticas & ſacrilegas preces quoque confluunt, & non ſolùm præſentes intereſſe, ſed ſimul cum illis ſupplicare Deo non verentur. Tertium autẽ, quando fune-

Cõmunicatur ſchiſmaticis & hæretic. 4. modis.

Primus modus in vitæ ſocietate.

2.

3.

funesta ac polluta ipsorũ Sacramenta percipere, & quemadmodum ab illis mutilata & profanata sunt, vsurpare non timent. Quartum, quando scelerata ac peruersa eorũ dogmata vnà cõplectuntur. Sic enim gradatim solent mortales in hunc profundum puteum, seu barathrum potius, decidere. Nã posteaquã cum illis familiaritatẽ & amicitiã propter vana & caduca huius mũdi cõmoda coniunxerint, paulatim eorũ venenatis sermonibus, qui serpũt vt cãcer, inficiũtur, atq; adeò sensim labẽtes tãdẽ vel persuasionibus, vel metu & minis adducũtur, vt precãtib[9] interesse, & simul cũ illis precari velint, dehinc quoq; mutilatis & schismaticis Sacramẽtis cõmunicare audẽt. Postremò venenatã doctrinã & perfidos errores imbibunt, neq; solũ schismate, sed & hæresi quoque imbuuntur. Fieri aũt potest, & sæpe fit, vt qui primũ probarint, secundũ non admittant: & qui secundo sociantur, tertium refugiant: & qui tertio copulantur, quartum tamen deuitent. 4.

Paulatim in ipsum præcipitiũ schismatis decidimus 2. Tim. 2.

Exempli gratia: sunt plærique, qui vel propter negotiationẽ & contractus vitæ necessarios, vel propter affinitatem & cognationem, vel propter alias rationes & conditiones vnà cum schismaticis externa societate iunguntur, qui tamen nefandas precum, Sacramentorum, ac doctrinæ ab

Non esse necesse, vt quis schismaticus sit reus omnium 4. generum schismatis.

illis factas prophanationes execrentur & horreant. Rurſum alij periculorum magnitudine ac terrore perculſi, adeſſe ſacrilegis precationibus coguntur, qui tamen nec Sacramenta ab illis accipere, nec doctrinæ deprauationem probare velint. Demum nonnulli etiam ſunt, qui quadam meticuloſa ac imbelli ignauia, prophanata cum ipſis Sacramenta participant, qui tamen eorū hæreſes & falſa dogmata deteſtentur & fugiant. Senſim itaque quidam & quaſi gradatim in tenebroſum & caligi noſum hunc locū deuoluuntur & cadunt, quique incautiores principijs nō obſiſtūt, ij ſeut ſæpe pulſu in ipſa profunda detrudantur. Conſultiſsimū itaque eſt, vt Schiſmaticorum & hæreticorum congreſsiones & familiaritates penitus deuitemus. Declinēt, ait Cyprianus, de cętero fortiter & euitent dilectiſsimi fratres noſtri verba & colloquia eorū, quorū ſermo vt cancer ſerpit &c. Et poſt: Ex abundantia vel ſolicitudo noſtra, vel charitas ſcribere ad vos iſta perſuaſit, vt nulla cū talibus cōmercia copulētur, nulla cū malis conuiuia vel colloquia miſceantur, ſimusq; ab eis tā ſeparati, quàm ſunt illi ab Eccleſia profugi, quia ſcriptū eſt: Si Eccleſiā contēpſerit &c. Et alio loco: Et ſi aliqui de collegis noſtris fratres chariſsimi, extiterint, qui deificam diſci-

Principijs obe reſiſtēdum, & nec vitæ ſocietate cum illis communicandum.

Cyp. lib. 1. epiſt. 3.

L. 1. ep. 4.

disciplinã negligendã putét, & cum Schismaticis temerè cõmunicant, cóturbare fidé nostrá res ipsa nõ debet, cũ Spiritus sanctus in Psalmis, talibus cõminetur, dicés: Si videbas furé simul currebas cũ eo, & cũ adulteris portioné tuã ponebas. Cósortes & participes ostédit eos alienorũ delictorũ fieri, qui fuerint delinquentibus copulati. Sed & hoc idé Paulus Apostolus scribit, dicés: Susurratores, detractores, Deo abhorrẽtes, iniuriosi, superbi, iactantes sui, adinuentores malorũ, qui cũ iustitiá Dei cognouissent, nõ intellexerũt, quoniá qui talia agũt digni sunt morte, nõ tantùm qui faciũt ea, sed & qui cõsentiunt eis qui hæc agũt. Quoniá qui talia agũt, inquit, morte sunt digni. Manifestat, & cóprobat, morte dignos esse & ad pœnã venire, nõ tantùm illos, qui mala faciũt, sed etiá eos, qui talia agentibus cõsentiunt, qui dũ malis, & peccatoribus, & pœnitentiá nõ agentibus, illicita cõmunicatione miscẽtur, nocentium cõtactibus polluũtur, & dum iungũtur in culpa, nec pœna separãtur. Propter quod, inquit, vos, fratres, literis nostris adhortamur, ne vos cum prophanis & maculatis Sacerdotibus Communicatione sacrilega misceatis, sed integram & synceram fidei vestræ firmitatem religioso timore seruetis. Atq; alio loco idem Martyr ait, quòd

Psal 49.

Rom. 1.

L.3 Ep.6. tanta Domini eſt aduerſus ſchiſmaticos
3.Reg.13. indignatio, vt etiam homo Dei ad Hieroboam miſſus ſua ei peccata exprobrare, & vltionem futuram prędicere, panem apud illos edere, & aquam bibere vetitus, cōtra Dei præceptum pranſus, diuina ſtatim cēſura percuſſus ſit, vt inde regrediens, impetu ac morſu Leonis necaretur: quodq; hæretici & ſchiſmatici nihil iuris nec poteſtatis habeant, & quòd nemo extra Eccleſiam conſiſtens, & contra pacem & dilectionem Chriſti faciens, nec debeat, nec poſſit excipi, quò minus inter Aduerſarios & Antichriſtos computetur. Neque enim D. N. Ieſus Chriſtus cùm in Euangelio ſuo teſtaretur, aduerſarios ſuos eſſe eos, qui ſecum non eſſent, & ſecum non colligentes, gregem ſuum ſpargerent: aliquam hæreticorum ſpeciem deſignauit,
Matth.12. ſed omnes omnino, qui ſecum non eſſent, aduerſarios ſuos oſtendit, dicens: Qui nō
Luc.11. eſt mecum, aduerſum me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit.

Item Beatus Iohannes Apoſtolus nec ipſe vllam hæreſim aut ſchiſma diſcreuit, aut aliquos ſpeciatim ſeparatos poſuit, ſed vniuerſos, qui de Eccleſia exiſſent, quiq;
1.Ioan.2. contra Eccleſiam facerent, Antichriſtos appellauit, dicens: Audiſtis, inquit, quia Antichriſtus venit; nunc autē Antichriſti multi

multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus, quia nouiſsima hora eſt. Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Vnde apparet, aduerſarios Chriſti Antichriſtos eſſe, quos conſtet à charitate atque ab vnitate Catholicæ Eccleſiæ receſsiſse. Et tu cum Antichriſto ſocietatem iũgere audebis, cum illo, qui eſt hoſtis Dei, & contra veram pietatem perduellis, familiariter conuerſari aut communem vitæ conſuetudinem agere non pertimeſcis? Vt autem clarè poſsit intelligi, inquit idem Beatus Chriſti Martyr, quæ ſit contra eiuſmodi licentiam & audaciam cenſura diuina, inuenimus in tali facinore non ſolùm duces & authores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe à communione malorum ſeparauerint, præcipiente Domino, & dicẽte: Separamini à tabernaculis hominum iſtorum duriſsimorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccatis eorum. Et quod per Moyſen comminatus illis fuerat, impleuit, vt quiſquis à Chore ſe & Dathan & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolueret.

Qui cum hæreticis & ſchiſmaticis communicant, cum Antichriſto cõmunicant.

In eadem Epiſt.

Num. 16.

Nõ ſolùm ſchiſmatis duces, ſed participes eorum eadem pœna puniri.

Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios ſe Deo & culpæ & pœnæ facturos, qui ſe ſchiſmaticis cõtra Præpoſitos &

Sacerdotes irreligiosa temeritate miscue-
rint. Sicut etiá per Oseá Prophetá Spiritus
Osee. 9. sanctus côtestatur & dicit: Sacrificia corú
tanquá panis luctus, oés qui manducát ea,
côtaminabûtur: docés scilicet & ostendés,
oés omnino cû authoribus supplicio côiun
gi, qui fuerint eorum peccato cômunicati.
Quæ ergo apud eos merita esse circa Deú
possunt, quibus supplicia diuinitus irrogá-
tur? Atq; hęc côtra Nouatianos Schismati-
cos disserûtur, qui sese ab Ecclesia vno tan
tùm dogmate discreuerunt, reliqua Eccle
siastica omnia integra côseruarunt, Sacra-
menta, Sacrificiú, & quęcúque vel ad cultú
Dei, vel ad gubernandú Christi gregé, vel
ad diuinorú Mysteriorum administrationé
pertinebát. Nó tum diruebátur Altaria, nó
mutilabantur Sacramenta, non euerteban
tur Sacerdotia, Sacrificium nó profligaba-
tur. Sed omnia hęc apud Schismaticos re-
tinebátur, licet propter ipsum schisma Al-
taria polluta, Sacramenta profanata, Sacer
Li. 1. ep 6. dotia illicita, Sacrificia ab eodé Martyre
de simpl. Cypriano sacrilega iudicétur. Iá quidé ma
Prælat. ior quędá vastitas Ecclesiá Dei depopula-
tur, eadéq; rabies, quę olim sub impio Cô-
státio grassata est, hodierno die Religioné
ac pietaté deprędatur & vastat. Ná quod de
illo tépore est scriptú, id quidé nostro secu
lo côcordat. Erat tú facies Ecclesiæ fœda
admodum

admodũ & turpis, vt Ruff. ait. Nõ enĩ, sicut L. 10. c. 21.
prius, ab externis sed à propinquis vastaba
tur, fugabat ali⁹, ali⁹ fugabatur, & vterq; de
Ecclesia erat. Ara nusquã, nec immolatio,
nec libamina: prȩuaricatio tamẽ, & lapsus
erat, & ruina. Similis pœna, sed impar vi-
ctoria. Similiter cruciabãtur, sed nõ simili- Similis no
ter glorificabãtur: qa dolebat Ecclesia etiã strorũ tem
ipsi⁹ casum, q impellebat ad lapsũ. Et quod porum fa-
est olim à Valente nequissimo Apostolicȩ cies tempo
doctrinȩ impugnatore factũ, id à quibusdã ribus Valẽ
iampridẽ Principibus in ditionibus suis ge tis Impera
ritur. Nam Anabaptistis, Arianis, Photinia- tor. Ariani
nis, Manichȩis, Paganis, Turcis, Iudȩis, Lu Theod. l. 4
theranis, Caluinistis & reliquis fœculẽtis Cap 14.
Sectarijs potestas pmittitur, suas Festiuita- Tripart.
tes & superstitiones retinere: soli Ortho- hist. l. 8. c. 3
doxi & Catholici phibẽtur, dirisq; suppli-
cijs affligũtur. Quũ ergo res ita se habeat,
qs nõ trepidabit cũ Ecclesiȩ hostib⁹ hodier
no die cõiungi? An tu, cũ Christi mẽbrum
sis, cũ eo, qui est Antichristi mẽbrũ, temet
copulabis? Aut qui es seruus & miles Dei,
cũ Sathanȩ satellite societatẽ inibis? Quid
hoc est aliud, quàm lucem tenebris, iustitiã
iniustitiȩ, Christum Belial, fidelem infideli
adiungere & admiscere? Hæc quidem,
fratres, fieri non poterunt, imò nullo mo-
do fieri debent. Considerate quæ pro cor-
poris incolumitate procurantur, & quàm

 cir-

circumſpecti ſint mortales, ne vllum omnino corporis diſcrimē & periculum ſubeant. Qui enim ſunt ſani, à leproſis ſe ſeiungunt, imò eos, qui vel gallico, vel peſtilenti, vel quouis alio contagioſo morbo afficiuntur, fugiunt & deuitant. An tu qui εὐεξίαν & integram corporis temperiem habes, in idem cubile diſcendes cum eo, qui lepra, lichene, aut quauis alia peſtifera contagione corripitur, & pro corporis ſalute ſoliciti, animæ ſalutem negligemus? Quid ergo, inquis? Cenſes ne, omnē Schiſmaticorum & Hæreticorum familiarem conſuetudinem declinandam? Non ego hoc à me ſentio, ſed à Spiritu ſancto edoctus, id pronuncio. Sic enim diuinitus inſpirati Dei homines ſancti, & me, & te docuerunt. Hæreticum, inquit Paulus, deuita. Et rurſum: Si quis non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo. Schiſmatici itaque omnes, qui verbo Apoſtolico, quo præcepit, vt idem ſentiamus omnes, & nō ſint in nobis ſchiſmata, non obediunt, declinandi ſunt, neque vllum cum illis vitæ communis cōmercium habere debemus.

Omnem omnino familiarē conſuetudinē ſchiſmaticorū & hæreticorum eſſe vitandam. Tit. 3. 2. Theſ. 3. 1. Cor. 1.

Obiectio.

Sed hoc loco obijcitur: Quomodo ergo quiſquam iam à ſcelere immunis eſſe poterit in vlla Prouincia aut ciuitate, vbi per publicum plebiſcitum, hæreſeon illu-

uies

uies admittitur & ſchiſma comprobatur, vbi maior pars plebis vel hæreſi, vel ſchiſmate contaminatur, vbi neque quid in foro emere venderéue poſsis, neque aliud quicquam agere, niſi cum illis, qui in perniciem hanc corruerunt, vbi cum menſæ accumbis, neceſſariò pariter cum illis eſt accumbẽdum, qui vel hæreſi, vel ſchiſmate, vel vtroq; ſint obſtricti. Hoc loco illud eſt conſiderandum, aliam eſſe diſciplinam militum, cum ordines ſeruantur, turmę & cunei cum ſuis ſignis & Ducibus ſua loca tenent, aliam verò, quando ordines militum confuſi, & ſigna Ducum fuerint turbata: itemque aliam eſſe medicinæ rationem, quæ corpori valenti integritatem & ſalutem conſeruat, aliam quæ morbos pellit, & afflictæ valetudini ſuccurrit & opitulatur. Atque etiam non idem eſſe faciendum, cum vnum aliquod membrum peſtilẽti tabe corripitur, quod in totius corporis & ſingulorum propè membrorum tabida peſte fieri debet. Sic certè alia eſt diſciplina Eccleſiaſtica obſeruanda, cum duo aut pauci aliquot vel à veritate, vel ab vnitate deſciuerint, reliqui verò omnes integri permaneant: alia, quando ingẽs multitudo, aut maior populi pars fuerit collapſa. Et rurſum in iiſdem formulis, aliud Duci, aliud militi, aliud Paſtori, aliud

Reſponſio

Nota.

Nota diligẽter, quia in his formulis magna vis eſt

aliud ouiculæ præscribendũ est. Atq; etiã aliter se gerere debebit Pastor & Episcopus erga lupũ & Pseudoëpiscopũ, aliter erga eos, qui ab eo seducti fuerint & dęcepti.

Hęc itaque, quę tam arctè seruanda dicimus, tum pręcipuè seruáda putamus, quádo ipsum malũ primũ prorũpere cœperit, neq; plures deChristi ouili abstraxerit. Nam cũ tanta multitudo schismate aut hęresi affecta fuerit, vt iam eorum cõsuetudo, præsertim externa, caueri non posit: tum profectò, quod necessitate quadá imponitur nec oío declinari queat, reprehensione iusta caret, dũmodo omni ratione curem⁹, ne vsquá nostro assensu vel schismati, vel hęresi suffragemur, ne simul cũ illis aut precũ, aut Sacramentorũ cõmunione sociemur. Ná potius quá isthęc faciamus, mors appetẽda est, & animæ sempiterna salus instabili & caducę corporis saluti anteponẽda. De quibus quidẽ certam quandam nobis regulá tradidit Apostolus Iudas: Hos, inquiens, arguite iudicatos: illos verò saluate, de igne rapiẽtes. Alijs autem miseremini in timore: odientes & eá, quæ carnalis est, maculatam tunicam. Qui sunt illi iudicati, quos arguere præcipit, nisi Principes & Coryphęi, qui alios à pietate auocare moliuntur, quos Apostolus Paulus dicit proprio iudicio condẽnatos

Necessitas excusat, & quæ.

Iud. ep.

Aliter agẽdum cum Ducibus hæreticorum & schismaticorũ.

esse?

esse? Hi qui sunt eiusmodi, asperè reprehē- dēdi sunt, vt cessent rectā viā Domini inuertere & vituperare. Sed eos, qui illorū fraudibus & imposturis circūscripti sunt, & in impietatis societatem illecti, de igne rapere, atque ab impendenti illis Gehennæ incēdio, nisi resipiscāt, liberare debemus, consilijsque & adhortationibus nostris ad correctionē inuitare: aliorū aūt, qui imbecilli & instabiles vacillant & fluctuabundi hærent, misereri præcipimur, ne nimia illos seueritate aut nimis præfracta & dura castigatiōe à nobis & veritate abalienem⁹. aliter cum simplicioribus. Tit 3.

In ipsa itaque cōfusione sic est agendū, vt dānatis Pseudodidascalis ac populi impostoribus semper strenuè resistentes, ipsorū malitiā & impietatē coarguamus, populū verò seductū quibuscunque rationibus valemus ab errore & interitu eripere studeamus. Neq; tamē vsquā vel his, vel illis turpiter lenocinemur, aut nequiter assentiamus. Hîc aūt Apostolus Paulus nobis est imitandus, qui licet oībus oīa factus sit vt oēs faceret saluos: tamē falsis fratribus, qui Christianos in seruitutē redigere volebāt, neq; ad horā quidē cessit subiectione, atq; etiā ab illis, qui veritati obstinatè contradicebāt, se subduxit, sicut sacra historia testatur. Ergo quando possumus, ab Ecclesiæ perturbatoribus corpore etiā abscedere & In confusione ipsa ac multitudine schismaticorū quid facere debemus. Gal. 2. Act. 13. 17. 18.

separari

Secedendum ab illis esse corpore, quando possumus.

Ne obolū quidem esse cōferendum ad impietatem.

Theod. l. 3 Cap. 23.

Li. 3. C. 13.

separari debemus: sed quando id nō possumus, omni studio agendum est, vt mente ab illis seiungamur, atque vt vigilanter prospiciamus, ne vel dicto, vel facto, vel gestu, aut nutu, aut quauis alia ratione eorum impietatem promoueamus. Nam vel obolum, vt quidam doctus scripsit, cōferre ad impietatem, perinde valet, ac si quis conferat omnia. Et antiqui Patres ne verba quidem voluerunt habere cum hæreticis communia, vt est apud Damascenum. Nullo itaque pacto illorum nefaria instituta sunt prouehenda nostris adminiculis & opibus.

Lib. 8. Tripart. hist. Cap. 13.

Theod. l. 4 Cap. 31.

Imperatoris Catholici Christianissimū responsum.

2. Par. 19.

Cùm olim Valens impius Imperator à fratre Valentiniano contra Gothos suppetias peteret, tale à pio Principe rescriptū recepit. Religiosum non esse, talem virum iuuare, qui Deo rebellis existeret, sed magis iustum esse, vt eius superbia sedaretur. Atque à Propheta Iehu ad Iosaphat, qui Achab auxiliatus fuerat, dicitur: Impio præbes auxilium, & ijs, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris. Eidemq́ postea cum Ochozia, cuius opera fuerūt impijssima, communem societatem ineunti, ab Eliezar Propheta dictum est: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues.

2. Para. 20

A qui-

A quibus intelligitur, quàm flagitiosum sit, nostro subsidio impiorum hominum nefanda molimina alere atque adiuuare. Cauendum igitur est, ne quid in eo genere peccetur. Illudque semper, siue cum vasta irruptio vniuersa confuderit, siue cum pauca quædam membra auulsa fuerint, ab omnibus est tenendum, vt nec doctrinæ, nec Sacramentorum, nec precum cõmunitate, cum Schismaticis consociemur. Nam potius quàm impia se doctrina imbui paterentur, sanctissimi Patres nostri verè Catholici vitam profundere parati fuerunt.

Trip. hist. lib. 7. C. 32 lib. 11. C. 6.

Hac animi inuicti fortitudine atque inexpugnabili magnanimitate, sicut superiore Capite docuimus, corroborati Edesseni, vltro maiori solito frequentia ad eũ locum procurrebant, vbi nouerant paratum sibi præsens exitium. Hac eadem constantia Magnus Basilius communitus, ipsi Imperatori restitit, seseq; periculis exposuit, dũ pro Apostolicis dogmatibus propugnaret. Cuius etiam fuit hæc præclara & magnifica vox, quòd qui Diuinis enutriti sunt eloquijs, corrumpi de sacris dogmatibus ne vnam quidem syllabam patiuntur, sed pro ijs, si cõtingat, omnes species mortis complectuntur. Consimili alacritate Samosateni sacrilegũ Eunomiũ,

Li 7. C. 36

D. Basilii constantia in doctrina Catholica.

Aurea sententia D. Basilij.

Ro-

Theod.l.4 Cap.14.15. Lib.2.c.17 Trip.hist. lib.2.c.24

Romani quoque Felicē, loco Liberij ab hæreticis suffectū, auersati sunt, & declinarūt. Haud aliter Antiocheni, postea quā Inclytus Eustathius maligna Arianorū calumnia fuisset ab Episcopatu deturbatus, atque Euphroni⁹ primū, pòst etiā Phlacitus, qui occultè Arianismū fouebant, illi successissent, ab Ecclesiastico conuentu abstinebant. Sed infinita istiusmodi celeberrimorum Præsulum ac populorū exempla passim occurrunt, è quibus clarè perspicitur, quantopere optimi illi viri vitarint, ne vel Hæretica doctrina, vel Schismatica secessione tantillū macularentur. Sic in veteri Testamento etiā prudentissimi homines, alienigenarum ad ædificationem Templi oblatū subsidium respuerunt. Cùm enim hostes Iudæ ad Zorobabel & Principes dixissent: Ædificemus vobiscum, quia ita vt vos quærimus Deum vestrū, dixerunt eis: Nō est nobis & vobis, vt ædificemus domū Domino Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus.

1.Esd.4. Ex Scripturis probatur, communionē hæreticorum & Schismaticorum in sacris esse vitandā

Per orthodoxā doctrinā ædificatur Templum Dei: proinde Hęreticorū, qui alienigenæ sunt existimandi, industria ad hanc ædificationem conferri nō poterit. A solis enim Catholicis istud Templi ædificium erigendum est. Id & in lege est præfiguratum, quando præcipitur: Ne iumentū tuū

coire

coire facias cum alterius generis animáti- Leuit.19.
bus, & ne agrum tuum diuerso semine seras, & ne veste, quę ex duobus texta est, induaris. Non seres, dicit Dominus, vineam tuam altero semine, ne & sementis, quam sæuisti, & quę nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur. Non arabis in boue simul & asino. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque est contextum. Vinea idcirco cordis nostri non est adulterino semine spargenda, neque aliud semen, quàm purum & genuinum Dei Verbum, illius sulcis committendum est. Neque asinus, id est, fucatus seductor, cum boue, id est, Euangelico & orthodoxo Præcone coniugandus est in Christi agricultura. Neq; vestis ex lino & lana, id est, Religio ex dissonis & discrepantibus doctrinis, consuenda est.

Deut.22.

Explicatus locus Leuit.19. & Deut.22.

His pręceptis admoniti olim Sacerdotes Dei & Antistites Ecclesiæ Christi, vniuersas Arianorũ impias argutias reiecerunt, Nicenamque fidem inuiolabiliter tenuerunt. Lege item Victoré de persecutione Vandalorum, & intelliges, quàm immania torméta, exilia, cruciatus, mortes denique pij Patres pro orthodoxa fide contra hæresim pugnantes, pertulerint. Sacramentorũ vero cum illis participatio quàm graui sacrilegio eos, qui simul participarint, obstrin-

Tripart. hist. lib.5. c.20.21.23

Victor lib 2.3.4.

obstringat, quis non videt? Nam licet Sacramenta eadem sint, nec mutata, nec corrupta: tamen in Schismate accepta, eos, qui foris illa accipiunt, non iuuant, sed lædunt, non gratiam conferunt, sed morti & damnationi obnoxios faciunt, non coniungunt & inserunt Christo, sed propter schismatis malum à Christo auellunt, atq; Antichristo copulant. Non potestis, inquit Apostolus, mensæ Dominicæ participes esse, & mensæ Dæmoniorum. Sed mensa Domini vna est, quæ est in sola Catholica Ecclesia: Ergo mensæ, quæ extra Ecclesiá, & contra Ecclesiam ponuntur, non sunt Domini, sed diaboli. Ad has igitur quisquis aduolat, is mensam Domini aspernatur & deserit.

1. Cor. 10.

Mensa schismaticorum nō est mensa Domini, sed diaboli.

Magna itaque cautione circumspiciebant illustrissimi Duces nostri, ne Schismaticorum aut hæreticorum funestis & sacrilegis Mysterijs contaminarentur. Quid aliud magnum Athanasium inexpugnabilem pietatis arcem in tot calamitates & ærumnas iniecit, nisi quòd cum hæreticis communicare nollet? Quid impulit Alexandrum Constanopolitanum, vt nocte sub Altari iacêret, atque oratione & lachrymis totam peruigilem ducerel, nisi quòd vis ei ab Arianis fuisset illata, vt crastina luce vel Arium in communionem

De Athanasio. Eccl. hist. l. 10 Ruf. authore. Theod. li 1

L. 10 c 12. Ruffin. authore. De Alexandro Constantinop.

nionem susciperet, vel si reniteretur, ipse in exilium abiret? Causam itaque Ecclesiæ Christo commendans pius Pontifex, à Domino exauditus est. Quo alio nomine octoginta Presbyteri & Diaconi vnà cum sanctissimo Presule Eulogio in exilium acti sunt, nisi quòd cum hæreticis & schismaticis communicare recusarunt? Imò non solùm, ne Eucharistiam simul cum illis, qui in errore pertinaces erant, perciperent, cauerunt: sed ne vel in ipsa sua ordinatione quisquam impurus, & heresi aut schismate maculatus interesset, prohibere solent.

De 80. Presbyteris & Diaconis cum Episcopo in exilium actis. Trip. hist. lib. 7. c. 38.

Eius rei illustre exemplum edidit Antiochus multis virtutibus coruscans, qui cùm vniuersorum suffragijs eligeretur, vt Eusebio suo Auunculo gloria iam Martyrij coronato in Samosatenæ Ecclesiæ gubernaculo succederet, & ad Altare productus, genua ad ordinationem inclinaret, conuersus & videns Iouinianum Pergenæ Ciuitatis Præsulem, qui paruo tempore Arianorum communione fuerat maculatus, dexteram suo capiti imponentem, manum eius repulit, & ait: Non esse ferendam dexteram, quæ aliquando Sacramenta blasphemijs celebrata suscepisset.

De Antiocho Episcopo Samosateno. Trip. hist. lib. 7. c. 16. Theodor. lib. 4. c. 15.

Simili quoque prudentia ac cautione

De Moyse Monacho.

Eccles.hist. lib. 11 c. 6. Ruf. auth Theodor. lib. 4. c. 23.

Moyses Monachus à Mauuia seu Mabia Saracenorum, id est, Ismaeliticæ gentis Regina petitus pontifex, cùm à Valente Alexandriam adduci, & pontificali gratia insigniri esset iussus, Luciumque Apostolicæ doctrinæ hostem, cui ordinandi officium deferebatur, sibi manus imponere velle cerneret, eum his vocibus increpans, reiecit: Absit, vt tua me manus Sanctorum sanguine polluta & cruenta, consecret. Te inuocante, Spiritus gratia non veniet. Cùm verò Lucius tam graui nota se inustum videret: vnde, inquit, ô Moyses, hanc coniecturam facis, aut cur tam facilè condemnas eum, cuius fidem ignoras? Aut si aliquis de me aliter tibi indicauit, audi fidem meam, & tibi ipsi magis, quàm alijs crede. Tunc ille: Desine, inquit, dolosis tuis me quoque imaginibus aggredi. Bene nota est fides tua, quam protestantur serui Dei per metalla damnati, Episcopi in exilium trusi, presbyteri, Diaconi extra Christiani nominis habitacula relegati, bestijs alij, alij etiá ignibus traditi. Quis laude dignus nó est exactus? Quam feritatem barbaricam nó obscurauerunt quotidiana ausa tua? Nunquid potest verior fides esse, quæ auribus capitur, quàm quæ oculis peruidetur? Est igitur illustris ille athleta ad eos Episcopos

Nota.

ſcopos deductus, quos ipſe poſtulaſſet & vellet.

Vnde verò commoti ſunt Ariani, vt nauem pijs Presbyteris refertam ſine ſaburra in altum primò propellerent, mox aliquot ſuæ factionis in altero nauigio cum igne ſummiſsis, qui nauem presbyterorũ inflammarent, niſi quòd eos ad nefandam ſuã ſocietatẽ & communionẽ pertrahere nõ potuerint? Quorſum attinet hîc cõmemorare, quomodo inſignes viri, qui Macedonio conſentire & communicare recuſarunt, conſtricti ſint & puniti, tandẽque poſt tormenta, violenter compulſi, communionem ore ſuo percipere & tenere? Ligno enim ora hominum aperientes, eis Sacramenta inſerebant. Mulieres quoque & paruulos vi trahentes, communicare cogebant. Si quis verò contradicebat, mox plagæ, vincula, tormenta ſequebantur: adeò vt mulierum mãmillas partim abſcinderent, partim cruentis modis amburerent aut dilaniarent. Tanta decipiendi libidine ſolent exardeſcere, qui ſanæ doctrinæ bellum ſemel intulerunt. Cur Rex Hunericus quater mille, nongentos, ſexaginta ſex Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos & alios orthodoxos in exilium eremi deſtinauit, niſi quòd ſe Chriſtianos Catholicos profiterentur, & Arianæ veſaniæ

Theodor. lib. 4. c. 24

De naui referta pijs presbyteris ab Arianis inflammata

Trip. hiſt. lib. 5. ca. 31.

Tormenta mulierum in fide conſtantium.

De 4966. Catholicis in exilium actis.

ſaniæ adſtipulari renuerent? Cur per fera-
Vict. lib. 2. lia edicta iubet eos, quos ipſe Carthaginẽ
cõuocarat, expoliari & extra muros pelli,
præcipiens, vt nullus eos aut hoſpitio reci
peret, aut alimonia iuuaret, niſi quòd Apo
ſtolicam fidem vnam & veram tenerent?

Victor l. 3. De Typaſenſibus. Typaſenſes verò ciues nullo pacto ſunt
ſilẽtio inuoluendi; quorũ alij cùm Arianũ
Epiſcopũ ad ſe miſſum animaduerterent,
naue cõſcenſa profugerunt, alij in ciuitate
manẽtes, nec blandimentis, nec minis cõ-
mouẽtur, ſed blandientium ſimul ac mini-
tantiũ inſaniá irridentes, diuina Myſteria
publicè etiã in vna domo celebrare ſunt
Nota. auſi. Vnde crudelis tyrannus offenſus, lin-
guas eorum radicitus, & dexteras manus
præcidi mãdauit. Tanta quidẽ ſupplicia cũ
gaudio perpeſsi ſunt ſancti Dei homines,
quòd ſeſe ſchiſmatis ſocietate cõmaculari
non ſinerent. Quis verò ſine gemitu & la-
chrimis legere, aut recordari poterit vni-
uerſa neſanda & immania cruciatuũ gene
ra, quibus pij & orthodoxi eo tẽpore ex-
carnificabantur, eò quòd ab impiorũ com
munione abſtinerẽt, & ſe tùm à ſchiſmatis,
tùm hæreſeos labe integros conſeruarẽt?
Quæ quidẽ idcirco prętereo, quòd qui vo
lũt, ex ipſius Victoris hiſtoria petere poſ-
ſunt: ſed tamẽ id taceri non cõuenit, quod
Religionis corruptores, & pietatis inimi-
ci, cùm animos orthodoxorũ immotos &

inflexibiles esse perspicerēt, vim illis adhibere, & vel inuitos rebaptizare instituerit. Quodq́; in cōpitis, in triuijs, in alijs locis, quâ homines transituri essent, satellitium suū collocarūt, vt violēter reluctantes etiā ad suos pertraherent sacrilego fonte retingēdos. Sed & Episcopi ac presbyteri ipsorū armatis cohortibus stipati, vicos & plateas circumcursare, atq; in domos irrrūpere solent, vt quos inuenirēt, siue vigilātes, siue somno sopitos, nefando latice perfunderēt. Meminit Victor ille infantuli septēnis, q̃ ab ipsis parētibus auulsus, matre post raptores currēte, ad nefastū gurgitē trahebatur. Sed cū puellus vt poterat clamaret, Christianus sum, Christianus sum, Christianus sum: os eius obturātes, insontē ętatē in impurū suū alueū immerserūt. Quid illud? An silētio transmitti poterit, quód Episcopū nomine Habetdeū manibus pedibusq́; ligatis vinculis ingētibus arctarēt, oreq́; obturato ne lingua clamaret, aquam corpori rebaptisationis, vt putabant, respergerent, statimq́; vinculis exutū sic est eū allocutus Antonius, qui totius sceleris artifex & administer fuerat: Ecce, inquit, frater Habetdeū, noster Christianus effectus es. Quid vltrà facere possis, nisi vt voluntati consentias Regis? Cui Habetdeū: Ista est, inquit, Impie Antoni, mortis

Schismaticorum violentia.

Lib. 3. Memorabile exemplum infantuli septennis.

De Episcopo Habetdeum ab hæreticis per vim rebaptizato.

Mortis dā natio est, vbi volun. tatis tene- tur asseſio

damnatio, vbi voluntatis tenetur aſſenſio. Ego fidei meæ tenax, vocibus confitens crebris, quod credo & credidi, clamando defendi. Sed & poſteaquam cathenis vinxiſti, & oris ianuam oppilaſti, in Prætorio cordis, violentiæ mihi admotę ſcribentibus Angelis geſta confeci, & lectitāda Imperatori meo tranſmiſi. Rectè quidē Habetdeum. Nam quod nolenti & repugnanti ingeſtum fuerat, id certè illi obeſſe non poterat. Flagitiosè profectò Antonius, qui Tyrannica vi & immani furore ſanctum Præſulem ab Eccleſiæ vnitate ad peſtiferā ſectam abripere conatus eſt.

Ac tametſi exēplis vndique abūdemus, tamen & illud præterire nō poſſum, quod eſt apud Gregorium Lib. 3. Dialog. C. 31. ſcriptum: Ermigildum regem iuuenem ab hęreſi Ariana ad fide Catholicam conuerſum, ob eamq; rem à patre Ariano in vincula coniectum, & regno ac bonis omnibus ſpoliatum (cùm ad eum die ſolenni Paſchatis pater eius Arianum Epiſcopum miſiſſet, vt ex eius manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, eaq; ratione cum patre ſuo rediret in gratiam) id conſtanter facere negantem, & Epiſcopo Ariano exprobrantem, à Patre, vbi hoc audiſſet, miſsis ſpiculatoribus, eodem vbi iacebat loco occiſum. maluit enim Regius ado-

adolescens quamuis mortem oppetere, quàm cum schismaticis & hæreticis in Sacris communicare.

Quorsum verò hæc? Vt ex his, quæ antiquis temporibus acta fuerint, demonstrem, quàm amenti & pręcipiti cursu Antichristi satellites contra Christi Sponsam & Apostolicam ferantur fidem: & rursum quanto studio pij Præsules & Dominici ouilis custodes vnà cum grege sibi commisso luporum irruptiones & insidias repulerint & declinarint. Sed iã est redeundum ad formulas, quæ ex circumstantijs, vt suprà diximus, deducuntur.

Atque illud primò tenendum est, quòd nec in tranquillo, nec in perturbato Ecclesiæ statu liceat, vel precibus publicis, vel Sacramentis, vel adulterina doctrina cum Hæreticis & schismaticis coniungi. Atque id quidem tam est ouibus, quàm Pastoribus cauendum, ne istis nodis schismatis aut hæresis societati adglutinentur. Nam si, vt Augustinus scribit, officium sit boni & Christiani viri, omnem potius sustinere persecutionem in patientia, quàm vt trãseat in vllam schismaticam nouitatem: profectò vitam potius profundere debent orthodoxi, quàm vel schismaticarum precum, vel Sacramentorum, vel errorũ communitate maculari. Ideo cùm discutere cũ

Certæ formulæ vitandæ communionis hæreticorũ

1. Formula

August. de vera relig. Cap. 6.

C.3.cõtra fundamentum Manichæi. Manichęis quasi incognitis August. vellet, iustum hoc esse putauit, ea lege seruata, vt cum eis non oraret, non conuenticula celebraret, non Manichæi nomen acciperet, si non ei de omnibus rebus ad salutem animæ pertinentibus sine vlla caligine rationem perspicuam darent.

2. Quid, inquis, si orthodoxus in Ecclesia maneat, in qua preces & Sacramenta schismaticè administrantur? Qui non ideo ingressus fuerat, vt ipsis orantibus intersit, sed vt vel priuatim Deo supplicaret, vel aliud quippiá ibi gereret: non obstringi eú schismate censeo, si modò nec illis respon-
3. deat, nec simul cú illis precetur. Quid si à catholico efflagitetur, vt falté vel illis orátibus interesse velit? Existimo, eú nó debere facere. Sic enim sua pręsentia ipsorum Schisma cõprobare videretur. Ná & eá ob causá vetuit Paulus vesci idolothytis eos, qui nullũ esse idolú in mundo sciebant. Si enim quis viderit eú, qui scientiá habet, in
1. Cor. 8. Idolio recũbentem: nónne cõscientiá eius cùm sit infirma, ędificabit ad manducandú Idolothyta, & peribit infirmus in tua sciẽtia frater, ꝓpter qué Christus mortuus est? Sic auté peccantes in fratres, & percutiétes conscientiá eorũ infirmá, in Christũ pecca
Cypr. de spectaculis tis. Et in simili re de spectaculis gentilium Cyprianus ait, quando id quod in hono-

re ali-

re aliquo idoli ab Ethnicis agitur, à fideli bus Christianis spectaculo frequentatur: & idololatria gentilis asseritur, & in cōtumeliá Dei religio vera & diuina calcatur.

Quid si in perturbatione Ecclesiæ priuatim ad mensam, vel in alio quouis consessu, vbi simul cū orthodoxis schismatici fortè conuenerunt, preces fiant? Si orthodoxus orando præeat, non turbetur, etiāsi sibi precanti Schismatici respondeāt. Sin quispiá Pastor Hæreticus orationē faciat: ne respōdeat, nec admisceatur orthodox⁹. Et tamē tum est solummodò cum illis cōgrediendū, cū ordo Ecclesiæ multitudine delinquentiū sic fuerit confusus, vt eorum contuberniū vitari nequeat. Nā si agmē & exercitus Dei suos ordines conseruet, vitandi quidē sunt impiorū cōgressus, & cōuiuia fugiēda. Id quod clarissimus Dionysius Corinthiorū Episcopus olim docuit.

quādo permittitur. cum hæreticis & schismaticis vitæ externa consuetudine coniungi.

Cōmunio schismaticorum quo tempore fugienda.

Eus. Eccles histor. l. 4. Cap. 24.

Quid igitur? Permittisne, simul cum schismaticis communem vitam agere? In perturbato statu, cuneis & cohortibus vtrinque simul permixtis, quod declinari non potest ferri debet. 5. Quid si quispiam Sectarius in itinere aut viculis occurrerit? 6. Salutabóne? Nequaquá, si sit vnus è mendacibus Magistris. Quid si quispiam sit è plebe seducta? Salutare licebit, etiamsi ego sim Catholic⁹ Pastor aut Præsul? Maximè.

Salutari posse plebem seductam â catholico Pastore.

Hic enim locum habere poterit exemplũ
1.Cor.9. Apoſtoli, qui omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret. Nam quem ruſtica aſperitate abalienares, comi fortaſſe ſalutatione ſic ſaltem tibi conciliabis, vt libentius te monentem & corrigentem audiat. At id Apoſtolus Ioannes prohibet. Minimè. Loquitur enim de mendacibus Magiſtris, & de Eccleſię ſtatu nó perturbato. Sic enim Optatus intelligit de Marcione,
Opt.lib.4. Hebione, Valentino, Corpiano, Ario, Photino, & Principibus Donatiſtarũ hunc locum: quia eorum ſermo vt cancer ſerpit, ideo prohiberi ait, ne à Chriſtianis ſalutentur, cùm ſubtili ſeductione verborum, morbis obſcurè ſerpentibus, corrumperent fidei ſanitatem.

Quid ſi Paſtor Paſtori, Orthodoxus hę-
7. retico fiat obuius? An ſalutem precabitur? Nequaquam, non magis, quàm Polycarpus olim Marcioni, qui aliter illum non compellauit, quàm primogenitum Sathanæ. Id enim Apoſtolus vetuit, quá-
Euſ. Eccl. hi.l.4.c.14 do dixit, vt nec Aue illi dicamus: illi ſcilicet Pſeudodidaſcalo, qui Catholicam doctrinam non attulerit.

8. Quid ſi in tranquillo tempore propinquus, Patronus & Amicus chariſsimus hæreſi aut ſchiſmate fœdatus & deturpatus fuerit? Fugiámne illius congreſſum?

Etiam

Etiam. Sic enim Christus te in Euangelio docuit, dicens: Si pes tuus, manus tua, aut oculus tuus dexter scandalizauerit te: amputa, aut erue eum, & proijce à te. Melius est tibi, mancum, debilem, claudũ & luscum intrare in Regnum Dei, quàm duas manus, aut duos pedes & oculos habentem, mitti in Gehennam ignis. Et Dominus in veteri Testamento mãdauit: Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clam dicẽs: Eamus, & seruiamus dijs alienis quos ignoras tu, & patres tui, cunctarum in circuitu gentium quæ iuxtà, vel procul sunt ab initio vsque ad finem terræ: non acquiescas ei, nec audias, neque pareat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eũ, sed statim interficies.

Matth. 18.

Explicatus locus Mat. 18. Si pes tuus &c. & Deut. 13.

Ignatius in Epistola ad Philadel.

Quid si, me insciente, occultè hæresim foueat, aut schisma faciat? Quàmdiu illius crimen fuerit tectum & tibi incognitum, consuetudinem ferre poteris. Cæterùm postquam rescieris, si semel iterumq; admonitus non resipuerit, nec erratum castigauerit, deuitari debet. 9.

An in confusa perturbatione, quando etiam cum alienis necessariò conuersandũ est, schismatici alicuius hominis societatẽ fugie- 10.

fugiemus? Minimè, nisi perniciosi Ductoris aut Pseusoprophetæ personam sustineat.

11. Quid si in persecutione, Orthodoxus Præsul Principis mandato in custodiam tradatur corruptori Pseudodidascalo? Quod quidem necessitate cogente efficiatur, aut potius à nolente & inuito toleratur, id non imputatur in damnum, sed cedit in emolumétum, dummodo in ea violentia mentem puram & integram seruet. Nam nulla est mortis damnatio, vbi non est voluntatis assensio.

Quid si propter hæreticos ad Ecclesiam
12. iri non potest? Admonet nos Apostolica Constitutio, quid tum facere debeamus, quæ sic ait. Si propter infideles ad Ecclesiam iri non potest, domi cœtus cógregabis, ô Episcope, ne pius impiorum ingrediatur Ecclesiam. &c. Quòd si impij locú occuparunt, fugiendus is tibi est, quoniam ab ipsis est profanatus. Nam vt Sancta Sacerdotes sanctificant, ita nefarij contaminant. Si nec domi, nec in Ecclesia cœtus celebrari possunt, vnusquisque apud se psallat, legat, oret, vel duo aut tres vnà congregati &c. Pius cum hæretico nec domi oret. Quæ est enim societas lucis cum tenebris? Quod & D. Basilij ætate populus Dei diligenter obseruabat. Qui sani, inquit,

Clemens const. Apo lib. 8. C. 40

Bas. ep. 69.

quit, ſunt in plebe, domus orationis fugiunt, vtpote in quibus impia docentur. Et rurſum, in compluribus, ait, ciuitatibus plebem cum mulieribus, pueris ac ſenibus extra portas effuſam, preces ſuas ſub dio peragere.

Quid igitur? Prohibéſne omnē omnino precum & Sacramentorum cum hæreticis communionem? Prorſus: ſiue pacatior ſit Fidelium conditio, ſiue turbulenta perſecutionis ingruerit tempeſtas. Difficile, inquis, hoc eſt & durum. At quæ præclara, eadem difficilia: & arcta eſt via, ait Dominus, quæ ducit ad vitam. Et Spiritus ſanctus grauiter per Prophetam illis intonat, qui populo peccanti adblandiuntur: Væ, inquiens, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſę ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum. Et violabát me ad populũ meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt: mentientes populo meo credenti mendacijs. Abſit itaq; vt in negotio ſalutis & in cauſa Dei, in qua de æterna animarum ſalute aut internecione agitur, quidquam præter aut contra conſi-

13. Matth. 7. Ezech. 13. Contra adulatores & celantes veritatem Dei.

consilium Dei ad humanæ voluntatis libidinem loquamur. Qui enim sic hominibus placere student, Christi serui nō sunt. (Galat. 1.) Nam licet complures hodie sint, qui secundùm quod à Paulo prædictum est, sanam doctrinam sustinere nolunt, sed ad sua desideria coaceruant sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate auditum auertunt, (2. Tim. 4.) qui dicunt videntibus, Nolite videre: aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores: (Esa. 30.) nos tamen, qui enutriti sumus verbis fidei & sanę doctrinæ, (1 Tim. 4.) istiusmodi seuerè arguere debemus, vt resipiscant à diaboli laqueo, & nō adulterare Verbum, sed in simplicitate cordis, & synceritate Dei, & manifestatione veritatis, commendare nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo, (2. Cor. 4.) semper ob oculos habentes illud propheticum: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt ipse auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. (Ezech. 33)

Quòd preces Schismaticæ sint cassæ & inefficaces, & Sacramenta, quæ in schismate accipiuntur, non prosint, sed obsint: quodq; nihil omnino in schismate ad salutem valeat.

CAPVT. VIII.

HOC loco peropportunè quæritur, si hi, qui in schismatę implicãtur & hærent, easdem Preces, eosdem Psalmos, eadem nobiscum, qui in Catholica Ecclesia permanemus, sacramenta, eosdem ritus, eandem etiam administrandi rationem habeant: quî fit, quòd tam vehementer & tam rigidè nos absterreas ab illorum cœtibus & societate? Quũ enim Deũ Patrem per Christum Dominum inuocent, cùm easdem precandi formulas multi retineãt, quæ sunt in Ecclesia Christi, cùm eadem omnia in Sacramẽtorũ dispensatione obseruent, quæ Spiritus per Apostolos fidelibus populis & Ecclesijs tradiderit: cur aut ipsorũ precationes, aut Sacramẽta improbari & sperni debeãt? cur orationes existimentur infructuosæ, quę in nomine Christi fiunt? aut Sacramẽta inutilia, quæ per inuocationem Spiritus sancti ministrantur? Duo sunt in hac quæstione inuoluta & implicita ἐρωτήματα, quorum alterum de oratione & precibus alterum de Sacramentis quærit. Nos, quò oratio magis sit perspicua, & res facilius possit intelligi, de istis seorsum & separatim differemus. Ac primò de vi precum, quæ à Schismaticis fiũt, dispiciamus. Obiectio.

In quo

Responsio
An preces absque charitate, aliquid prosint.

In quo illud primò occurrit diligenter excutiendum, an vllæ preces, quæ in dissensione & odio absque charitate funduntur, Deo acceptæ, & hominibus salutares ac fructuosę possint esse? Nam de schismaticis, quòd charitate vacent, manifestũ est.

Schismaticos charitatis esse expertes.

1. Charitas enim membra Christi in vnũ colligit & compingit: at Schismatici mẽbrorum concordiam & societatem dirimunt: ergo charitas in schismaticis non est. Rursum, concors populi Dei consensus per
2. charitatem agglutinatur. Schisma itaque, quod illum consensum turbat & diuellit, charitatis est expers. Denuo, vnitas omniũ
3. credentium populorum per charitatem conciliatur: ergo Schisma, quo illa vnitas
4. rumpitur, est contra charitatem. Iterum, membra Christi, vt inquit Augustinus, per vnitatis charitatem sibi copulãtur, & per eandem capiti suo cohærẽt quod est Christus Iesus. Ergo quisquis per Schismatis dissidium ab illa vnitate abstrahitur, is charitatis inanis & vacuus esse comprobatur.

De vnico Bapt. cõtra lit. Petil. Cap. 2.

5. Postremò, charitas diffunditur in corda per Spiritum sanctum: sed extra corpus Christi, quæ est Ecclesia Christi, neminem viuificat Spiritus sanctus. Ergo qui per schisma ab Ecclesiæ & corporis Christi societate sunt execti, à charitate sunt alieni.

Rom. 5.
Aug. ep. 50

Hu-

Huiuſmodi argumenta ex ipſis Scripturis multa peti poſſunt. Sicuti: Chriſtus per charitatem diſperſos in vnum congregauit, diabolus per inuidiam inuicem cohærentes diſpergit: Ergo qui per ſchiſma vnitatem diſcindunt, ex diabolo ſunt, & charitatem Dei non tenent. Non eſt enim particeps diuinæ charitatis, qui eſt hoſtis vnitatis. Charitas patiens eſt: Schiſmatici omnes ſunt impatientes & furioſi: ergo abſq; charitate. Charitas eſt benigna: ſed ſchiſmatici ſunt immites & inclementes. Nō ęmulatur charitas: ſed in ſchiſmate eſt æmulatio. Charitas non agit perperá: ſed qui per diſſenſiones vnitatē ſcindūt, perperá agunt. Charitas nō inflatur, Schiſmatici ſunt turgidi & ſuperbi. Charitas non eſt ambitioſa: at ſchiſmatici ambitioſi ſunt & faſtidioſi. Charitas non quærit quæ ſua ſunt: ſed qui diſſenſiones & offendicula pręter doctrinam, quam didicimus, faciunt, Domino Ieſu (vt Apoſtolus ait) nō ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Charitas non irritatur: Schiſmatici iracundi, feroces & irritabiles ſunt. Charitas non cogitat malū, non gaudet ſuper iniquitate: ſed qui ſeminant inter fratres diſcordias, mala cogitant & cōminiſcuntur, & gaudent quādo ab vnitate Eccleſiæ quempiam iniquè abſtraxerint. Charitas congaudet verita-

Ioan. 12.
Auguſt. Epiſt. 50.
1. Cor. 13.
Rom. 16.
Prouerb. 6

ei: Schismatici vnitatem oderunt, in qua illibatè custoditur veritas. Charitas omnia suffert & sustinet: Schismatici idcirco à societate Fidelium discedunt, quòd nihil sufferre nec sustinere velint. Infinita propè istiusmodi ex Scripturis sacris argumenta promi & deduci possunt, quibus planè conuincatur, nullam Schismaticis esse charitatem.

Cur preces in schismate factæ no sint Deo acceptæ.

Atverò preces, quæ in dissensione schismatis absq; charitate fiũt, Deo nullo modo acceptę posſũt existere, qui hoc primũ ab ijs, qui ad eum per supplicationes & orationem confugiunt, exigit, vt dimittát, si quid aduersus aliquem habeant, quò à Patre cælesti veniam consequantur. Dico, inquit, vobis, omnia quæcunque orátes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersum aliquem, vt & Pater vester, qui in cęlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet peccata vestra. Sed quomodo fratribus remittere aut conciliari poterunt, qui per obstinatã separationem sese à fratribus per orbem terrarum Christum colentibus diuidunt, qui fraterno odio instimulati, foras exeunt, & schismata condunt? Alia enim schismatis origo non est,

Marc. 11.
Matth. 6.
Luc. 11.

sicut

ſicut ſuperiùs demonſtrauimus, quàm fraternum odium. At quæ à ſubulcerato pectore, inuidia contabeſcente, & flagrante fratrum odio profluunt preces, purulentę ac fœtidæ ſunt, & indignę auribus Dei. Poteſtne Dominus illorum vota & poſtulationes probare, quorũ ſtudia execratur & horret? Eum, qui inter fratres ſerit diſcordias, ſicut Scriptura teſtatur, Deus ex animo deteſtatur.

August. li. contra Don. ca. 13.

Prouerb. 6.

Rectè itaque Dominus tales inſtituit, vt prius in gratiã cũ fratribus redirent, quàm ſacrificiũ ſibi immolarẽt, dicẽs: Si ergo offers tuũ munus ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuũ ante Altare, & vade prius recõciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Nam alioqui nõ placeret Deo munus oblatum, ſi fratrem neglexeris per te offenſum. Si verò qui vnũ è fratribus offenderit, ab Altari Dei repellitur: quid de illis eſt ſentiẽdũ, qui & Altaria ipſa confringere, & vniuerſam ſimul fraternitatem maligno ſeparationis vulnere ſauciare, atq; diſcordiarũ aculeis pũgere & exaſperare non ceſſant? An Deo gratæ eſſe poterunt illius petitiones, qui de grege Dominico diſſeparatus eſt, qui ab ouili Dei, à cœtu fidelium exulerit, qui fraternæ paci & tranquillitati

Matth. 5.

inuidet, quem sacra oracula à diabolo esse
Ioan.15. testātur? In hoc, inquit Dominus, cognoscent omnes, quòd mei Discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicē. Et illius Apostolus, docet eos ex maligno esse, qui
1.Ioan 3. nō diligūt fratres. Quare eorū preces, qui fratribus per seditiones & tumultus negotia facessunt, qui filios Dei ingenti molimine infestant, Deo Patri acceptæ non sunt: imò verò adeo sunt exosæ, vt in peccatum etiam cōuertantur. Sicuti per Prophetam Spiritus sanctus dicit: Fiat, inquiēs, oratio eius in peccatum. Et in altero Scripturæ loco cōtestatum accepimus, quòd qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Schismaticorum preces fiunt in peccatū & execrabiles.
Psal 108.
Prou. 28.

Quum itaque legem Christi, qua suis
Ioan.15. charitatem commendauit, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicē, omnes schismatici, qui per malitiam & inuidiam Christi membra dilacerant & distrahunt, violare pergant: annon apertè per Spiritum sanctum prædicitur, quòd illorum orationes sunt execrabiles? Quibus per prophetam Dominus ait: Cum extenderitis manus vestras, auertā oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Statim verò causam reddit, cur eorum supplicationes non ex-
Esa.1. audiantur. Manus enim vestræ sanguine, inquit,

inquit, plenæ ſunt. Et quomodo plenæ ſunt manus ſanguine? Quia per ſchiſmatis funeſtum ſacrilegium, animarum homicidæ ſunt. Et eorum, quos à Domino ſegregarunt, rationem reddent: imò pro illis, quos ſeduxerunt, pœnas & ſupplicia ſubibunt. Sic enim Dominus ait: Sanguinem eius de manu tua requiram. Quamobrem cùm eorum, quos per illecebroſa blandimenta à Chriſti Sponſa Eccleſia ad ſua conciliabula auocarunt, ſpiritualis necis ac perpetui interitus authores ſint, animarumque interfectores: manus ipſorum plenæ ſanguine pronunciantur, eorumque poſtulationes à Domino repellũtur. Qui enim omnes pios, ſicut à D. Bernardo ſcriptum accepimus, ſua ſingularitate turbare, ſua impatientia irritare, ſua contumacia & rebellione contemnere, ſua inobedientia coinquinare audent, qui fratres tota die moleſtant, vnanimitatem impugnant, ab vnitate ſeparant: ij cùm extenderint manus, auertuntur: cùm multiplicauerint orationes, non exaudiuntur.

Ezech. 33.

Super Cãtica Hom. 46.

Schiſmaticorum ergo preces non exaudiuntur, quia illorum corda charitatis inania, & odij ſunt plena, illorum manus ſanguine madent. Deus eſt charitas: ergo qui ſine charitate ſunt, ſicut Auguſtinus ait, ſine Deo ſunt: & ſi ſine Deo ſunt, ad

1. Ioan. 4.

de temp. Serm. 170.

illum ipsorum preces pertinere & penetrare non valebunt. An quisquam piè precari poterit absque Spiritu sancto? Effundam, inquit Dominus per Prophetá, super domum Dauid, & super domum Iuda Spiritum gratiæ & precum. Et Apostolus testatur, quòd Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarribilibus. In hoc Spiritu clamamus, Abba Pater. Sicut nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio & fortitudine præualet, inquit Augustinus, nisi acceperit Spiritum sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, nec habet quisquam virtutem bonam, charitaté synceram, continentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis, charitatis, & continentiæ: ita sine Spiritu fidei non est rectè quisquam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Nõ quòd tot sunt Spiritus, sed quòd omnia operatur vnus atq; idé Spiritus diuidés propria vnicuiq;.

Zach.12. Rom.8. Epist. 105.

Sine spiritu precum quo schismatici carent, nemo potest rectè orare.

1.Cor.12.

Ergo quum per Spiritum Christi preces Deo Patri fiunt acceptę, profectò quicunque schismate inuoluuntur, propterea quòd spiritu careant, preces Deo acceptas facere nequeunt. Illud, inquit Cyprianus, mirandum est, imò indignandum potius & dolendum, Christianos Antichristis assistere, & præuaricatores fidei atque proditores Ecclesiæ intus in ipsa

Lib.1,ep.6

Eccle-

Ecclesia contra Ecclesiam stare. Qui quoniam pertinaces aliâs & indociles, vel hoc tamen confitentur, quòd vniuersi siue hæretici, siue Schismatici. non habeant Spiritum sanctum. Si verò Spiritum sanctũ non habeant, nec ipsi peccatorum suorũ condonationem assequi, nec supplicationes Deo acceptas possunt facere. Spiritu etenim factæ preces, diuinam misericordiá flectunt. Spiritus vero Dei non requiescit, nisi super humiles, contritos & trementes ad Verbum ipsius. At quum Schismatici omnes per spiritum superbiæ turgidi sint & inflati, cumq; suo fastu & typho aduersus Electos Dei insurgát & belligerétur: certè nullo pacto potest effici, vt illorum preces à Domino, qui superbis resistit, exaudiantur. Nã quæ ratio est, vt misericordiá côsequátur, qui sunt ipsi immisericordes? quasi nô sit verè ab Apostolo scriptũ, quòd iudiciũ sine misericordia sit nô faciétibus misericordiá? Quomodo itaq; qui in vniuersam Christi Ecclesiam crudeles hostes sunt, suis sacrilegis precibus misericordiá côsequentur? Ad pacis, inquit Cyprianus, prçmiũ venire nô possunt, qui pacé Domini discordię furore ruperunt. Nec se quidá vana interpretatione decipiát, quòd dixerit Dominus: Vbicũq; fuerint duo aut tres collecti in noíe meo, ego cũ illis sum.

Esa. 66.
2. Petr. 5.
Iacob. 4.
Iacob. 2.
De simpl. Prælat.
Matth. 18.

Corruptores Euangelij atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prętereunt, partis memores, & partem subdolè corrũpentes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita Capituli vnius sentẽtiam scindunt. Dominus enim cùm Discipulis suis vnanimitatem suaderet & pacem: dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re, quãcunque petieritis, continget vobis à Patre meo qui in cælis est. Vbicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: ostendens, non multitudini, sed vnitati deprecantium plurimum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra: vnanimitatem prius posuit, concordiam pacis antè præmisit: vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo cõuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum vniuersa Fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cùm hæreses & schismata postmodum nata sint: dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originẽ reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos qui sunt in Ecclesia loqui-

Hæretici & schismatici corrũpunt Scripturam.

Christus non audit nisi concordes.

Hæretici nõ possunt in nomine Christi congregari.

loquitur: vt si ipsi concordes fuerint, si secundùm quod mandauit ac monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint duo aut tres licet sint, impetrare possunt de Dei Maiestate quod postulant. Vbicúque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego inquit, cum eis sum: cum simplicibus scilicet atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta seruantibus. Pòst: Neque enim habere Deum pacatú poterit, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habet. Quam igitur sibi pacem promittunt inimici fratrum? Quæ Sacrificia celebrare se credunt æmuli Sacerdotum? An secum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur, qui extra Ecclesiá Christi colligũtur? Pòst: Docet Dominus & admonet, à talibus recedendũ. Cæci sunt, inquit, & duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, ambo in foueá cadunt. Auersandus talis, & fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Peruersus est huiusmodi, & peccat, & à semetipso condemnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus Sacerdotes Christi facit, qui se à Clericorus vel plebis societate secernit? Arma iste contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis Altaris, aduersus Sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus

Matth. 15.

Tit. 3.

Nemo est cũ Christo qui aduersus sacerdotes Christi facit.

ſidus, pro religione ſacrilegus, inobſe-
quens ſeruus, filius impius, frater inimi-
cus, contemptis Epiſcopis, & Deiſacer-
dotibus derelictis, conſtituere audet aliud
Altare, precem alteram illicitis vocibus
facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per
falſa ſacrificia profanare, nec ſcire, quo-
niam qui contra ordinationem Dei niti-
tur, ob temeritatis audaciam diuina ani-
maduerſione punitur.

Quibus ampliſsimis ſententijs Beatus
ille Martyr oſtendit, illorum preces, qui
extra Eccleſiam congregantur, non mo-
dò non exaudiri à miſericordi Domino,
ſed etiam ob diſceſsionis vulnus grauia
ſupplicia demereri. De iſtiuſmodi ſuppli-
cibus per Spiritum ſanctum Propheta ſic
loquitur: Clamauerunt, nec erat qui ſal-
Pſal. 17. uos faceret: ad Dominum, nec exaudi-
uit eos. Licet itaque Schiſmatici ingen-
ti rugitu ac boatu vociferentur ac mu-
giant, licet claris vocibus & altiſono con-
centu modulentur & cantent, licet ipſum
Dominum & Deum cæli implorent: ta-
men plus diuinam clementiam non fle-
ctunt, quàm luporum vlulatus, quàm la-
tratus canum. Quiſquis, inquit Augu-
ſtinus, præter Templum Dei orauerit
Deum, non exauditur ad illam pacem
ſupernæ Hieruſalem, &ſi exaudiatur ad
quæ-

Schiſmatici nō plus flectunt diuinam clementiam, quàm latratus canum.

In Pſ. 130.

quædam temporalia, quæ Deus & Paganis donauit. Nam & ipſi dæmones exauditi ſunt vt irent in porcos. Exaudiri ad vitam æternam aliud eſt, nec conceditur niſi ei, qui in templo Dei orat. Ille autẽ in Templo Dei orat, qui orat in pace Eccleſiæ, qui orat in vnitate corporis Chriſti, quod corpus Chriſti conſtat ex multis credẽtibus in toto orbe terrarum: & ideo exauditur, quia orat in templo. Ipſe enim orat in Spiritu & veritate, qui orat in pace Eccleſiæ.

Matth. 8.

Hæretici & ſchiſmatici etſi ad quædam temporalia poſsint exaudiri dum orãt, non tamẽ ad ſalutem æternam.

Ex quibus Auguſtini ſententijs clarè perſpicitur, eos, qui extra Eccleſiam orent, & non in pace & vnitate fidelium populorum, ſed in ſchiſmatis diuiſione, non exaudiri, propterea quòd in ſpiritu & veritate non orent, ſed in diſſenſione & errore. Quomodo enim Deo probari poterunt orationes, quæ contra fraternam pacem, quam Chriſtus euangelizauit, quam ſuis reliquit, per odij furorem fiũt? An gratæ eſſe poſsint Deo, charitatis fonti & authori, ac miſericordiarum Patri, ſupplicationes, quæ ex inuidentia fluunt, quæ charitate vacant?

Nihil eſſe gratum Deo ſine charitate.

In omnibus præceptis Dei, ait Sanctus Auguſtinus, charitas obtinet principatum, ſine cuius perfectione nihil Deo placere poſſe Paulus teſtatur,

De temp. Serm. 90.

quã

qui nec Martyrium, nec sæculi contemptum, nec eleemosynarum largitioné sine charitatis officio quidquá proficere posse ostendit. Duæ enim radices sunt in cordibus hominum insitæ & plantatæ, quarú altera est charitas, altera cupiditas. Quæ quidem à duobus agricolis seu hortulanis inseruntur animis mortalium. Nam charitas à Christo in cordibus fidelium, cupiditas à Diabolo in pectoribus impiorum plantatur. Pij in charitate sunt radicati & fundati, improbi verò & superbi suis cupiditatibus tanquam quibusdam vorticibus iactantur & æstuant. Sed radix bonorum omnium est charitas, sicut malorum omniú radix est cupiditas, & sicut ex charitate nihil vnquam mali, ita ex cupiditate nihil vnquam boni enascitur aut progerminatur. Quæ itaque ex diaboli radice profunduntur mala, ea Deo alterius radicis satori placere non possunt.

August. de tempore Ser. 39. 44

Ephes. 5.

1. Tim. 6

Ergo cùm preces Schismaticorú nó ex radice charitatis proficiscátur, sed in cupiditatis radice inueniátur, malæ quidé & sacrilegę sunt, Deoq; ingratę & execrabiles. Nam preces Antichristi Christo non poterunt placere: sed Schismatici & Hæretici ab Apostolo & Euangelista Ioanne dicuntur Antichristi: Multi, inquit, Pseudoprophetæ exierunt in hunc mundum. In hoc cogno-

cognoſcitur Spiritus Dei: omnis Spiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtũ in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Pſeudoprophetæ, inquit Auguſtinus, ſunt omnes Hæretici, & omnes Schiſmatici.

1. Ioan. 4.

4. Tract. in 6. Ioan.

At dicis: Hæretici & Schiſmatici confitentur Chriſtum in carne veniſſe: quomodo ergò Pſeudoprophetæ appellantur & Antichriſti? Quæramus huius nodi ſolutionem à doctiſsimo Præſule Auguſtino. Ipſe enim eandem ſibimet obiectionẽ opponit. Dic ergo, ô Sancte Epiſcope & vigilantiſsime ſacrarum literarum inueſtigator atque interpres, dic nobis huius quæſtionis ſolutionem. Quære, inquit, ab Arianis: confitentur Ieſum Chriſtũ in carne veniſſe. Quære ab Eunomianis, Macedonianis: confitentur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Interroga Cataphrygas & Nouatianos: confitentur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Omnes ergò iſtæ hæreſes Spiritum Dei habent? Non ergo Pſeudoprophetæ ſunt? Nulla ergo ibi deceptio, nulla ſeductio? Certè Antichriſti ſunt, qui exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. En qualẽ de omnibus Schiſmaticis, qui ab Eccleſiæ ſocietate eruperunt, tulit ſententiam. Sed iam audiamus, quo

Hæreticos omnes & ſchiſmaticos negare Ieſum Chriſtum in carnu veniſse & ideo eſſe Antichriſtos.

1. Ioan. 2.

pacto

pacto eam veram esse commonstret. Superius, inquit, audistis, quia dictum est: Qui negat Iesum Christum in carne venisse, hic est antichristus: & ibi quæsiuimus, quis negat? quia nec nos negamus, nec illi negant. Inuenimus quosdam factis negare, & adhibuimus testimonium
Tit.1. de Apostolo, qui ait: Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Sic ergo & modò quæramus, in factis, non lingua, quis est Spiritus, qui non est ex Deo, qui negat Iesum Christum in carne venisse? Eia fratres, opera attendamus, nō strepitum linguæ.

Quæramus, quare venerit in carne Christus? & inueniemus, qui eum negant in carne venisse. Nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse, sed **conuincit illos veritas. Quare venit Christus in carne? Nonne Deus erat?** Nonne de illo dictum est: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Vebum? Nonne ipse pascebat Angelos, & ipse pascit Angelos? Nonne sic huc venit, vt inde non discederet? Nonne sic ascendit, vt nos non dimiteret? Quare venit ergo in carne? Quia oportebat nobis ostendi spem Resurrectionis. Deus erat, & in carne venit.

venit. Deus enim mori non poterat, caro poterat.

Ideò ergo venit in carne, vt moreretur pro nobis. Quemadmodum autem mortuus est pro nobis? Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. Charitas ergo illum duxit ad carnem. Ioan. 15. Quisquis ergo non habet charitatem, negat Christum in carne venisse. En quò tandem res deducta sit. Quisquis, inquit, non habet charitatem, negat Christum in carne venisse. Schismatici omnes non habent charitatem: ergo sunt Antichristi, & negant Christum in carne venisse. Sed reliqua ex Augustino attexamus.

Quisquis non habet illam charitatem, quæ Christum duxit ad carnem, negat factis Christum in carne venisse.

Iam interroga, inquit, omnes hæreticos: Christus venit in carne? Venit. Hoc credo, hoc profiteor. Imò hoc negas. Vnde nego? Audis, quia hoc dico, imò ego conuinco, quia negas. Dicis voce, negas corde: dicis verbo, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? Quia ideo venit in carne Christus, vt moreretur pro nobis: ideo mortuus est pro nobis, quia charitatem multam docuit. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. Iohan. 15.

Tu non

Tu non habes charitatẽ, quia pro honore tuo diuidis vnitatem: Ergo hunc intelligite Spiritum ex Deo, pulsate, tangite vasa fictilia, ne fortè crepuerint, & male resonent. Videte, si integrè sonent, videte si ibi est charitas. Tollis te ab vnitate orbis terrarum, diuidis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi. Ille venit in carne, vt colligat: tu ideo clamas, vt spargas. Ergo ipse est Spiritus Dei, qui dicit Iesum in carne venisse, qui dicit non lingua, sed factis, qui dicit non sonando, sed amando. Ille non est Spiritus Dei, qui negat Iesum in carne venisse: negat & ipse, non lingua, sed vita: non verbis, sed factis.

Manifestum ergo, vnde agnoscamus fratres. Multi intùs, quasi intùs: nemo autem foris, nisi verè foris. Adeò vt noueritis, quia ad facta retulit. Et omnis Spiritus, ait, qui soluit Christum, non est ex Deo: soluere factis, intelligitur. Quid tibi ostẽdit, qui negat, quia dixit, soluit? Ille venit colligere: tu venis soluere. Distringere vis membra Christi. Quomodo non negas Christum in carne venisse, qui dirumpis Ecclesiam, quam ille congregauit? Contra Christum ergo venis, Antichristus es. Intus sis, foras sis: Antichristus es. Sed quãdo intus es, lates: quando foris es, manifestaris. Soluis Iesum, & negas eũ in carne ve-

Multi intus quasi intus nemo foris, nisi verè foris.

1. Ioan. 4.

Soluere Christum quid sit.

Qui cõtra Christum est, siue sit intus, siue foris, Antichristus est

venisse: non es ex Deo. En quantis argumentorum viribus conuincat, schismaticos non esse ex Deo, sed Antichristos esse & Christum soluere. Et quidni Christum soluisse iudicentur, qui corpus Christi à Capite abstrahunt, qui Sponsam à suo Sponso segregant, qui Ecclesiam Dei à Deo seiungere & diuellere moliuntur? An non hoc est Iesum soluere, illius mẽbra à suo Capite præcîdere? Illius Ecclesiam, quam sibi incorporauit, ab ipso dissociare? Ergo cùm Schismatici omnes hoc faciunt, Christum soluunt. Et quia Christum soluũt, ab ipso Apostolo & Euangelista Christi Antichristi pronunciantur. Nunquid igitur credibile poterit esse, quòd eorum, qui Christum dilacerant, quíque Antichristi sunt, preces Christo placere queãt? Absit: ergo schismatici orantes nõ exaudiuntur.

Quomodo soluunt schismatici Iesum.

Sed dicis: Easdem nobiscum preces recitant, consimiles obsecrationes faciunt. Quid tum? An tu putas, Iudæos aut Turcas, quòd Dauidicos pariter nobiscum Psalmos decantent, plausibiles & Deo placentes facere precationes? At Schismatici, inquis, in Christum credunt. Sit ita: Nunquid Anabaptistæ, Ariani, Suenkfeldiani & consimiles pietatis hostes, qui se in Christum credere clamitant, & non solum Psalmos Dauidicos, sed orationem

Obiectio.

Responsio.

etiam Dominicam precantur, idcirco ex-
audiuntur? Credo quòd non es id dictu-
rus. Ergo non est id considerandum, quid
precantur, sed quo animo ad orandú acce
dát Nam & illi, quibus Apostolus scripsit:
Iacob. 4. Petitis, & non accipitis, eò quòd male pe-
tatis, vt in concupiscentijs vestris insuma-
tis: preces quidem Deo effuderunt, & il-
lius beneficia postularunt, & tamen quia
non ex charitate, sed cupiditate ad pre-
candum instigabantur, idcirco rebus po-
stulatis frustrati sunt, nec obtinuerút, quæ
precando petierunt.

At eandem, inquis, nobiscum gratiam
Dei petunt, easdem orationes instituunt.
Sed non eodem studio & affectu. Pij enim
& orthodoxi cum animi summissione &
humilitate suas preces corá Christo pro-
sternunt: superbi Schismatici cum typho
& elatione quadam non tam supplicare
Deo, quàm imperare videntur. Catholici
in vinculo pacis & vnitatis dilectione o-
ránt: schismatici cum furore dissensionis
ac dissidij ad Deum rogandum accedút.
Idem proinde vtrique ore pronuntiant,
sed non idem corde sonant. Ille enim pa-
cem, iste diuisionem & lites exoptat. Sic
certè olim eadem verba à Petro efferebá-
tur, & à Dæmonibus. Vtrique enim Chri
stum Dei Filium prędicabant, sed alterius
con-

Discrimen inter preces Catholicorum & schismaticorum.

confeſsio remunerationé aſſequebatur & laudem, alterorum autem minitationem ac ſupplicium. Laudatus eſt enim Petrus, quando dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Expulſi ſunt dæmones hoc ipſum dicentes. Ergo iſta eadem confeſsio, inquit Auguſtinus, Petro fructuoſa fuit, dæmonibus autem pernicioſa. Sic & eadé precatio Catholico ſalutaris, Schiſmatico inutilis exiſtit. Illi prodeſt propter charitatem, huic non prodeſt propter cupiditatem. Atque hactenus de ſchiſmaticorum precibus dictum eſto. Supereſt iam, vt de Sacramentis, quæ in Schiſmate adminiſtrantur, diſquiramus.

Auguſt. de vnico Bapt. contra Petil c. 10. Matth. 16. Mar. 1.

Vt eadem fuit confeſſio Petri ac dæmonũ, ſed non cũ eodem fructu: ſic in precibus Catholicorum & ſchiſmaticorũ.

Ac primò illud quidem indubitatum eſt, quòd membrum à corpore præciſum, quòd palmes à vite exectus, nec ſalutem aut vitam poſsit retinere, nec maturos fructus proferre. Cùm itaque Sacramenta in illis exiſtant, qui quidem ab vnitate Corporis Chriſti auulſi ſunt & amputati: profectò ineſſe quidem non eſt negandum, ſed illis prodeſſe non poſſunt, quamdiu ſchiſmate implicentur & inhæreant. Quiſquis, inquit Auguſtinus, fuerit ab hæreticis vel ſchiſmaticis, tamen Chriſti Chriſmate conſecratus, cum ad Eccleſiam venerit, non eſt negandum Sacramentum veritatis quo imbutus eſt,

De Sacramentis in ſchiſmate adminiſtratis.

De vnico Bapt. ca 9. cont. Petil.

Sacramēta inesse schismaticis possunt, prodesse nō possūt

sed adijcienda est pietas vnitatis, à qua separatus est, & sine qua illud inesse illi possit, prodesse non possit. Non ergo prosunt Sacramenta illis, qui ab vnitate ad scissuras & sectas prorumpunt. Verax enim est illa Apostoli sententia, qua pronuncia-, sectas & dissensiones esse opera carnis, quæ qui faciunt, Regnum Dei non consequuntur. Neq; enim in regnum suum recepturus est omnes, in quibus inuenerit aliquā veritatem, sed in quibus inuenerit veritati congruam charitatē. Quæ si defuerit, iniquitas erit: in qua tamen detenta veritas neganda non est, sed ipsa iniquitas, nō destructa veritate, damnanda est. Vnde & Apostolus dicit: Si sciero omnia Sacramēta & omnem scientiam, & si habuero omnem Prophetiam & omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nō habuero: nihil sum. Si dixit, nihil esse, si charitatem non habeat: non Sacramenta, & scientiam, & Prophetiam & fidem. Illa magna sunt, etiamsi ille nihil sit, qui ea sine charitate habuerit, & eorum veritatem in sua iniquitate tenuerit. Corrige ergo iniquitatem hæretici figmenti, ne perdat te: & noli superbire de veritate Christiani Sacramenti, quæ ibi est vt iudicet te.

Gal. 5.

August. de vnic. Bap. Cap. 7.

1. Cor. 13.

Schismatici proinde, qui formam administrationis Ecclesiæ traditam, & eandem

cum Fidelibus intentionem in Sacramentorum dispensatione seruant, Sacramenta quidem habent, sed salutem non habent. Sacramentum in schismate esse potest, animæ salus non potest. Quomodo enim salutem animæ percipere poterit, qui est à Christo totius humanæ salutis largitore per schisma separatus? Quomodo gratiam è capite in corpus dimanátem assequatur, qui non est inter corporis membra? Christus enim per Passionem consummatus, factus est omnibus, obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ: non immorigeris, nó contumacibus, non præfractis ac inflatis Schismaticis, qui Christi consilium aspernantur, qui pacem Christi turbant, qui vnitatem corporis sui mystici discindunt. Ergo licet Sacraméta habeant, tamé quoniam per schismatis rebellionem inobsequentes sunt & intractabiles, salutem habere nequeunt.

Salutem in schismatico esse nõ posse.

Hebr. 6.

Quemadmodum enim Atheniensibus, qui vnum Deum extra Ecclesiam colebát, nihil ad salutem proderat, quòd verum Deum ignorantes colerent, imò potius oberat ad perniciem, quód falsos Deos simul colentes, eidem vero Deo sacrilegam iniuriam faciebát: sic, inquit Augustinus, nihil prodest hæreticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum Baptismum per

Actor. 17.

De vnico Bapt. contra Petil. Cap. 6.

Ignorantiam & tradunt, & tenent, imò & obest ad damnationem, quòd in sacrilega iniquitate erroris humani etiam diuini Sacramenti, non per quam mundentur, sed per quam seuerius iudicentur, retinét veritatem. Quicquid enim boni contulerit Baptisma, illud schisma aufert. Nam si illic sit remissio peccatorum per Baptismi sanctitatem, rursus debita redeunt per hæresis aut schismatis obstinationé. Quamuis enim, ait Augustinus, apud Schismaticos & hæreticos idé sit Baptismus Christi: tamen ibi non operatur remissionem peccatorum, propter discordię fœditatem & dissensionis iniquitatem. Quid enim prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei Sacramentum, vbi læthali vulnere schismatis perempta est charitas sanitatis, per cuius solius peremptionem etiam illa integra trahuntur ad mortem? Quid enim confert, si quis reliqua corporis mêbra integra habeat, corde verò sauciatus sit? An reliquarum partium omnium sanitas vulneri cordis mederi poterit? Nequaquam certè. Sed illud cordis vulnus reliquis omnibus salutem adimit, interitum adfert. Sic etiamsi Sacramenta extra Ecclesiam eadem accipias, tamen quia sine charitate & Spiritu accipis, non viuificant, sed perimunt, non salutem,

Schisma aufert, quicquid boni contulerit Baptisma.

L.1. contra Don. C. 13.

L.1. contra Don. Ca. 8.

Schismatici etsi in alijs partibus sint sani, tamen in corde vulnus habent.

lutem, ſed mortem inferunt. Imò non ſolùm Sacramenta extra Eccleſiam nihil proſunt, ſed & illa, quæ intra Eccleſiam in vnitate Spiritus adminiſtrantur, nihil quidquam vtilitatis allatura ſunt ijs, qui poſtea in Schiſmatis aut hæreſis ſentinam demerſi ſunt, & Eccleſiam Chriſti deſeruerunt. Quæ enim peccata per Baptiſmi ſanctitatem remittebantur, ea propter ſchi matis ſcelus redeunt. Nam peccata remiſſa redire, vbi charitas fraterna non eſt, Euangelica nos veritas docet: quum is, qui à Domino condonatus fuerat propter rigidam inclementiam, qua conſeruum debitorem afflixit, nó ſolùm ad perſoluédum debitum, ſed etiam ad ſupplicium à iuſto Domino repoſcitur. Non ergo proſunt Sacramenta ſchiſmaticis, quibus, quę antea fuerunt remiſſa, peccata imputátur. Matth.18.

Quid? An ea ſignacula & gratiæ vaſa atq; vehicula, quę Dominus ſuæ Sponſæ Eccleſię tátùm tradidit, illis quoque ſalutem conferre poterunt, qui ſunt Eccleſiæ hoſtes? An tanti ſunt roboris externa ſymbola, vt internum Spiritus afflatum ad impios quoque & Deo rebelles deriuare ac trahere queant? Credibile certè nó eſt. Dominus enim Ieſus ea Sacramenta ſuis ſequacibus & morigeris filijs ſuę chariſſimę Sponſæ commendauit & reliquit, non

externis, non profugis, non istis qui ab Ecclesia exierunt, & contra Ecclesiam pugnát. An, quæso, Christi Sacramenta illis conducere quicquam poterunt, qui cótra Christum bellum gerunt? An Mysteria ad solatium & profectum Ecclesiæ cócessa illis queunt esse vtilia, qui Ecclesiam scindunt & dilaniant?

Sacraméta schismaticis nisi resipiscát, in grauiorem condemnationem futura.

Non sunt igitur Sacramenta profutura schismaticis, imò nisi resipiscant, illis grauiter officiunt, atque ipsorum condemnationem augent, qui pacis ac vnitatis symbola in dissidio ac separatione cótra Christianorum vnanimem consensum vsurpát. Quicquid enim, inquit Augustinus, sine vnitatis societate & vinculo pacis habeát, qui ab Ecclesia separantur & secedunt, quáuis per se sit sanctũ & venerandũ: ipsi tamen nihil sunt. Nó ergo prosunt Sacramenta absque charitate, quæ, si vnitas rũpatur, nulla esse potest. Qui enim, ait Sáct⁹ Prę́sul, deserit vnitaté, is charitaté violat, & quisquis violat charitaté, quodlibet magnum habeat, ipse nihil est. Si linguis hoím loquatur & Angelorum, si sciat omnia Sacramenta, si habeat omné fidem vt montes transferat, si distribuat oia sua pauperibus, si corpus suum tradat vt ardeá, charitatem aũt non habeat: nihil est, nihil ei prodest. Vniuersa inutiliter habet, qui vnum illud,

Ad Simpl. lib.2.q.2.

Vbi non est vnitas, ibi non est charitas.

Serm.18. de temp.

1.Cor.13.

quo

quo vniuersis vtatur, non habet. Nec nos seducant, qui carnaliter intelligunt, & corporaliter separationem faciunt, & ab Ecclesiæ frumentis toto orbe diffusis spirituali sacrilegio separantur.

Ergo cùm Sacramenta Schismatici in separatione & dissidijs habeant, & charitatis, qua sola filij Dei à filijs diaboli secernuntur, expertes sint profectò Sacramēta non ad salutem, sed ad perditionem habent. Videant, inquit præstantissimus Præsul, quàm multa & quàm magna nihil prosint, si vnum quidem defuerit: & videant, quid sit ipsum vnum, nec me in hoc audiant, sed Apostolum. Si linguis, inquit, hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Si, inquit, tanta facundia sermonis, tanta vniuersorum idiomatum præcellentia, tanta affluentia illius diuini charismatis abundarem, vt non solùm omnium gentiū linguis loquar (id quod Apostoli, postquàm Spiritum in linguis igneis acceperant, fecerunt) sed etiam Angelorum, qui sine vocis sono & mortalibus loquuntur, & mortalium cogitata intelligunt, & inter se admiranda & incomprehensibili celeritate quæcunque conceperunt, communicant: tamē si illud tam præclarum & magnificū donum

1. Ioan. 3.
Augustin. contra Donat. lib. 1. Cap. 9.
1. Cor. 13.
Charitas est illud vnum quo qui careat, nihil ei, cætera prosunt.
Actor. 1.

donum absque charitate habeam, etiamsi ipsum donum magnum sit, ego tamen, qui illud habeo, nihil sum, sed sum velut æs sonans, quo alij quidem delectantur, cùm ipsum æs suũ sonũ nõ sentiat: aut cymbalum tinniens, cuius incondito licet strepitu, iumentorum tamen atque etiá mortalium alacritas excitatur, sed ipsum dum crepat, externo adhibito pulsu teritur, nec quidquam commodi ex suo tinnitu obtinet. Sic & ego, licet exuberanti omnium linguarum elocutione aliorum mentes incendere & inflammare valeam, si charitate destiturus sum: frigore tamen & stupore impietatis circumfusus, nihil istiusmodi in meo pectore sentiens, inutiliter tanto linguarum dono locupletatus existimer. Si habuero Prophetiam, qua futura prædicere possim & præsagire, & nouerim mysteria omnia, omnesque latebrosas sacrarum Literarum difficultates intelligam, & omnia arcana atque retrusa & abdita consilia non solùm eruere valeam, sed etiam explicare, & omnem quoque scientiam assequutus fuerim, ita vt nihil quidquam nec rerum humanarum, nec diuinarum me subterfugiat: Et si habuero omnem fidem, non solùm Catholicam, quæ est omnium Christianorum communis, sed miraculosam quoq;

Explicatur locus Pauli: Si linguis &c.

quam

quam paucis per Spiritum Deus concedit, ita vt montes de suis locis & sedibus transmoueam: si hæc inquam, tanta & tam admiranda dona Dei sine charitate habeam: nihil quidem sum. Illa certè præclara & planè diuina ornamenta sunt, Prophetia scilicet, mysteriorum omnium & omnis scientiæ comprehensio, atque adeo fides quæ stupenda prodigia edat: sed tamen homini charitate nudato, ad æternam salutem non proficiunt.

Addit præterea Apostolus: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, id est, si ad subleuandam egestatem inopum omnes opes meas profundam, si tanto studio beneficia largiendi efferar, vt vniuersa bona, quæ mihi suppetant, in eleemosynas prodigam & dispertiar, & si corpus quoque meum tradidero vt ardeam, id est, si vel in propugnanda veritate Dei, vel in tuenda innocentia, vel iustitia conseruanda, mortem oppetere, tormenta subire, flammas etiam & corporis concremationem perpeti velim, atque in tantis & tam amplis meis conatibus, in rebus tam benignè, tam fortiter gestis, charitatem non habeam: nihil mihi prodest. Non enim cedit ad coronam gloriæ, sed in malitiæ ac inuidentiæ supplicium.

Sed

Obiectio. Sed quæris: Quomodo fieri poteſt, vt quiſquá vel vniuerſam ſuá rem familiarem impartiendo indigentibus eroget & exhauriat, vel corpus ſuum flammis exurendum tradat, abſque charitate? Si ea, quæ

Reſponſio superius ſunt dicta, memineris: facilè reperies huius ſcrupuli ſolutionem. Iudæi, Turcę, etiam quidam Gentiles valde benefici in ſuos extiterunt, nec ſolùm egenis ſuis copijs ſubuenire, ſed pro patria conſeruanda, pro ciuium ſuorum ſalute ſeſe periculis & morti quoque obijcere, fuerũt parati. Sed quia iſta nō incorpora-

De bonis operibus factis ab infidelibus

ti Chriſto fecerunt, nec per inſtinctũ Spiritus ſancti, aut veram charitatem, quá nemo aſſequitur niſi cuius cor Spiritus Dei inhabitat, idcirco eis ad æternam ſalutem non conferunt. Similiter etiam & Hæretici ac Schiſmatici, licet non ſolùm diuitias ſuas omnes indigentibus diſpertiant, ſed corpus morti pro Chriſto offerant, quoniam extra Eccleſiam in ſchiſmate hoc faciunt ſine charitate, quam Spiritus intra Eccleſiam in piorum cordibus diffundit, certè inutiliter, & non ad æternam ſaluté iſta faciunt & patiuntur. Proinde, in ſchiſmate nec ipſa fidei Sacramenta, nec eleemoſynę, nec preces, nec tormentorum & necis perpeſsio ad æternam valent ſalu-

An tu existimas, Montanistam, Photinianum, Arianum, aut Anabaptistá, etiamsi pro nomine Christi mortem oppetierit, immortali Regno & perenni beatitudine potiturum? Certè non existimas. Quod de illis est pronunciatum, idem de Sacramentarijs, de Caluinistis, de Lutheranis ac reliquis Sectarijs omnibus, qui schismatũ dissidijs vnitatem ac pacem Ecclesiæ dilaniant, sentiendum est. Quisquis ille est, vt Augustini verbis hunc locum concludam, & qualiscunque ille est: Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Sola quippe est, per quàm Sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errátibus fiducialiter intercedat. Vnde etiá de Agni hostia Dominus præcepit, dicẽs: In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna namque domo Agnus comeditur, quia in vna Catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina iussio efferri foras prohibet, quia dari Sanctum canibus vetat. Sola est, in qua opus bonũ fructuosè peragitur. Vnde mercedem denarij non nisi, qui intra vineam laborauerant, acceperunt. Sola est, quæ intra se positos valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij Arcam quidem ad sublimiora sustulit: omnes aũt, quos extra

Eadem est ratio bonorum operum factorum in schismate, quæ in infidelitate.

Serm. 181. de temp.

Exod. 12.

Matth. 7.

Matth. 20.

Gen. 7.

Arcam inuenit, extinxit. Sola est, in qua Mysteria superna veraciter contẽplemur. Unde ad Moysen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petram. Et
Exod.30. paulò pòst: Tollam manũ meã, & videbis posteriora mea. Quia enim ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur. Quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, Diuinam pręsentiam non agnoscet. Auelle, inquit Cyprianus, radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit.
De Simpl. Prælat. A fonte præcìde riuum, præcisus arescet. In ijs Cypriani verbis intelligimus, lucem non capere diuisionem in Sanctis regno Dei prædestinatis, qui diuidi ab Ecclesia nullo modo possunt: & non germinare ramum auulsum fructum salutis æternę germine accipimus. Ariditatem verò riui à fonte præcisi, in eo, quòd Spiritu sancto vacuantur, qui ab vnitate separantur, agnoscimus. Atque hæc ex Augustino. Si quis plura de hoc argumento desideret, perlegat doctissima Augustini volumina contra Donatistas conscripta, & insignem ac verè aureum Cypriani libellum, quem de Simplicitate Prælatorum inscripsit.

Quòd

Quòd Martyrium quoque pro confessione nominis Christi in schismate perpessum, ad æternam salutem non conducat.

CAPVT. IX.

SED hîc percontabitur quispiã, quid de Hæreticorum & Schismaticorum Martyribus, qui simul cum orthodoxis pro Christi nomine ab infidelibus & feris persequutoribus sunt interfecti, sit sentiendum. An & ipsi Martyrij coronam à Deo sint accepturi? Etsi ex superioribus, modò diligẽter aduerteris, Christiane Lector, hanc ambiguitatem sublatam esse intelligas: tamen quò res fiat perspicua, ex Cypriano, Augustino, Chrysostomo explanationem illius afferemus, vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Ac primùm quidem Martyris Cypriani de istis Pseudomartyribus sententiam rogemus. Dic nobis, gloriose Martyr Cypriane, quid de istis, qui extra Ecclesiam pro Christo occumbunt & moriuntur, pronuncies?

Inimicus, inquit, & hostis Ecclesię, quos abalienauit ab Ecclesia & foras duxit, vt captiuos & victos contemnit & præterit: eos pergit lacessere, in quibus Christum cernit habitare. Quanquam etsi Lib. 1. ep. 1.

aliquis

aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est quod sibi quasi in confessione nominis blandiatur, cùm constet, si occisi huiusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnâ potius esse perfidiæ: nec in Domo Dei inter vnanimes habitaturos esse, quos videmus de pacifica diuina domo furore discordiæ recessisse. Et altero loco de schismaticis verba faciés ait: Tales si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordię nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Ad Regnum peruenire non poterit, qui eá, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque vnanimes esse præcepit, dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata seruari mandauit, & exhibere se non potest martyrē, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & contestatur Paulus Apostolus, dicens: Et si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeā: nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem nō habeam: nihil proficio. Post: Qui charitatē non habet, Deum non habet. Ioannis Beati Apostoli vox est: Deus, inquit, dilectio est,

De Simpl. Prælat.

Schismatis macula nec sangui ne abluitur

1. Cor. 13.

eſt, & qui in dilectione manet, in Deo manet, & Deus in eo. Cum Deo eſſe nō poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs, animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari no poteſt. 1. Ioan. 4.

En, apertiſsimis verbis & clariſsimis ſententijs ſuam nobis mentem de ſordidis iſtiuſmodi Pſeudomartyribus protulit B. Cyprianus, imò non tam ſuam, quàm Apoſtolorum Pauli & Ioannis. Nam ipſorum teſtimonijs quod ſtatuit, confirmat. Iam adijciamus, quid de iſtis S. Chryſoſtomus pronuntiarit. Is hanc Beati Martyris ſententiam repetens, ſuos auditores ad hunc modum alloquitur: Vir, inquit, quidam Sanctus quippiam dixit, quod audaciam ſapere videtur, attamen dixit. Quid eſt autem iſtud? Peccatum videlicet ſchiſmatis ne martyrij quidem ſanguine deleri. Dic enim, quęſo, quam ob cauſam martyrium ſubis? An non propter Chriſti gloriam? Quo itaq; pacto, qui animam pro Chriſto exponis, Eccleſiam oppugnas, pro qua animam ſuam tradidit Chriſtus? En quàm ſcita & ſolida argumentatione Cypriani ſententiam corroborat. Chriſtus,

Chryſoſt. homil. 11. in 4. C. ad Epheſ.

Cypriani ſententia à Chryſoſt. vſurpata, & ab eo probata.

T inquit,

inquit, pro Ecclesia mortuus est: tu oppugnans Ecclesiam, moreris. Mors ergo tua non cedit in gloriam Christi, quia Ecclesiam, pro qua Christus perpessus est, oppugnas.

Horum iudicijs adstipulatur D. Augustinus, atq; eandẽ rem vberrimis Scripturarum oraculis confirmat. Si Schismatici, inquit, aliqua ingruente persecutione tradant nobiscum ad flammas corpus suum pro fide, quam pariter confitentur: tamen quia separati hoc agunt, non sufferentes inuicem in dilectione, neq; studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non habendo, etiã cum illis omnibus, quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem peruenire non possunt. Et altero loco ait: Apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine Martyrij se iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo numero habendi sunt, Pastorem bonum Paulum Apostolum audite. Quoniam non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, qui mandi sunt sanguinem fudisse pro ouibus sed potius contra oues. Audite, vt tangat, imò vt transfodiat eos, qui talio Martyr nomine in passionibus gloriantur. Si ...

Cont. Donat. l. i. c. 9

Ephes. 4.

De verbis Domini Serm. 50.

ftribuero, inquit, omnia mea pauperibus, 1. Cor. 13.
& tradidero corpus meum ita vt ardeam. Iam ipsi sunt. Sed vide quid sequitur. Charitatem autem non habeam, nihil prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis effusionē, venitur & ad corporis incensionem: & tamē nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cætera. Qua de re & Optatus ita scripsit: Si suprà memoratos (.i. Marculum & Opt. lib. 3.
Donatum interfectos) videri Martyres vultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta martyrij, aut dilexisse Deo placitam vnitatem, aut habuisse cū fratribus charitatē. Et post: Nulla igitur est excusatio, quia charitatem illos nō habuisse, manifestissimè constat, sine qua nullum vel nominari potest vel esse martyrium, sine qua maxima & imperiosa virtus caret effectu, sine qua nihil valet omniū scientia linguarū, sine qua nihil potest etiā societas Angelorum, Apostolo Paulo dicente: Si habeam &c. Ecce qualem de istis Paulus Apostolus sententiam dixerit.

Quid prętereà quærimus? An locupletioribus testibus egemus? An plura in hāc sententiā accumulare opus erit? Si quæris, q̄s eā illis audaciā cōmittit, vt corporis cruciatū neglıgāt q̄ abalienati à Christo sunt:

Sermon. 9. de S. Vincent. — diabolicus spiritus implet falsos martyres.

Respondet tibi Augustinus: Si, inquiens, diabolicus & seductor spiritus plerumq; implet vel fallaces vates vel falsos Martyres suos, vt tormenta corporis vel ipsi sibi ingerant, vel ingesta contemnant: quid magnum est Domino Deo nostro, ad confirmandam prędicationem nominis sui, ipsorum prædicatorum carnem quidē in manus persequentium tradere, mentem verò in arcem libertatis assumere, vt etiam dũ illa patitur iniquitatem, hæc asserat veritatem? scilicet vt victores non tolerantia faciat, sed iustitia, quoniá martyres discernit causa, non pœna. Multi enim dolores tolerauerunt pertinacia, non constantia: vitio, non virtute: prauo errore, non recta ratione: diabolo possidente, non persequente. Quibus verbis ostendit, malignũ & seductorem spiritum hanc suis, quos victos & captiuos pòssidet, pertinaciam & inflexibilem duritiem inspirare, vt cruciatus ac tormenta ferant & contemnant etiam in causa nequissima.

Martyres discernit non causa, sed pœna.

Serm 66. in Cantic.

Diuus quoque Bernardus incoërcibilē sui temporis hæreticorum, qui contra Baptismum infantum, contra Sanctorum suffragia dimicabant, & ignem Purgatorium post mortem restare inficiabantur, rigiditatem ac contumaciam depingens, ait: Quantum ad istos, nec rationibus couincuntur.

cuntur, quia non intelligunt: nec authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt. Probatum eſt, mori magis eligunt, quàm conuerti. Horum finis, interitus: horum nouiſsima, incendium manet. Poſteà verò ſermonem de ipſis protrahens, ait: Mirabantur aliqui, quòd non modò patiéter, ſed & læti, vt videbatur, ducerentur ad morté, ſed qui minus aduertunt, quanta ſit poteſtas diaboli, non modò in corpora hominum, ſed etiam in corda, quę ſemel permiſſus poſſederit. Nonne plus eſt, ſibimet hominem inijcere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc auté in multis potuiſſe diabolum, frequenter experti ſumus, qui ſeipſos aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt. Denique Iudas ſuſpendit ſeipſum, diabolo ſine dubio immittente. Ego tamen magis exiſtimo, magiſq; admiror, quod potuit immiſiſſe in cor eius, vt traderet Dominum, quàm vt ſeipſum ſuſpenderet. Nihil ergo ſimile habet conſtantia Martyrum, & pertinacia Hæreticorũ: quia mortis contemptum in illis pietas, in iſtis cordis duritia operatur.

Hæretici mori magis eligũt, quã conuerti.

Quòd nõ ſit mirum, hæreticos ad mortẽ latos accedere.

Cõſtãtia martyrum & pertinacia hæreticorum nihil habent ſimile.

Habes iã, quo ſpiritu, & cuius inſtinctu deſertores Eccleſię, charitatis inimici, vnitatis euerſores & hoſtes ad perferenda tormenta adiguntur: nempe Sathanæ, qui

discordias primùm in eorum mentibus serit, dein instigat & propellit etiã ad cruciatus perferendos. An tu eos morte sua Regnum Dei assequuturos putas, quos diabolus ad moriendum impulit? An qui pro Antichristo oppetunt, Christo placere possunt? An eos, qui per contentionem & dissensiones ad necem perueniunt, inter pacificos Dei filios in beata ac immortali fœlicitate habitaturos existimas? Nunquid terrena, animalis, & diabolica sapientia, qua impij inflati ad supplicia procurrunt, repromissam humilibus & Sanctis hæreditatem promereri poterit? Certè nullo modo potest. Mori itaque, & carnificinas pati, tam hæretici, quàm Schismatici possunt: Christi martyres esse non possunt. Quid, inquit Augustinus, erit in communicationibus passionum Christi, si charitas non erit? Nónne inueniuntur torti latrones in tanta fortitudine corporum, vt quidam eorum non solùm conscios prodere noluerint, sed nec omnia sua confiteri dignati sunt? vt inter cruciatus, inter tormenta, effossis lateribus, & penè perditis membris, manserit animus in obstinatione nequissima? Vide ergo quid amabant: facere tamen ista sine magno amore non poterant. Sed non sic amator Dei. Deus non amatur, nisi de

Iacob. 4.

Serm 15. De verbis Apostoli.

Deo. Amauit ille nescio quid aliud de carne, sicut homo. Quodlibet amauerit, socios suos amauerit, conscientiam scelerum amauerit, gloriam in facinoribus amauerit: multum amauit, qui torqueri potuit, deficere non potuit. Si ergo ille non potuit tanta perferre sine amore, nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro, quo amore? Non sit cupiditas, sed sit charitas. Si enim, inquit, tradidero corpus meum vt ardeã, & charitatem non habeam: nihil mihi prodest. Vt prosit tibi communicatio Passionum Christi, charitas adsit. Ergò Schismatici, qui odio fraterno incensi, Ecclesiam dilacerant & charitate carent, licet grauia tormenta patiuntur, communicare Christi passionibus non possunt, ob eamque causam illorum passiones beneficio Passionis Christi destitutæ sunt: Regnũ igitur cælorũ promereri nequeũt.

Nemo cõmunicat Christi passionibus nisi per amorem.

Atque hæc quidẽ ad explicationẽ propositæ quæstionis sufficere possunt. Qui plura desiderat, is legat Augustini Lib. 4. contra Donatist. Cap. 17. In Psal. 59. de Patientia, Cap. 26. Epist. quoque 50. quã Bonifacio Comiti scripsit, & Cap. 9 Li. 1. de Sermone Domini in monte, quem locum propterea huc adscribemus, quod totam hanc controuersiam paucis valde

Lib.1.de Serm. Domini in Mont.c.9.

perſpicuè explanat: Nõ enim, inquit, perſequutiones & maledicta perpeti fructuoſum eſt: ſed iſta pro Chriſti nomine perpeti non ſolùm æquo animo, ſed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideo excluduntur ab iſta mercede, quia non dictum eſt tantùm, Beati qui perſequutionem patiũtur, ſed additum eſt, propter iuſtitiã. Vbi autem ſana fides non eſt, non poteſt ibi eſſe iuſtitia: quia iuſtus ex fide viuit. Neq; ſchiſmatici aliquid ſibi ex illa mercede promittant, quia ſimiliter vbi charitas non eſt, nõ poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim proximi malum non operatur. Quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti quod eſt Eccleſia. Ergo licet hæretici aut Schiſmatici perſequutiones & mortem patiantur, tamen quia propter iuſtitiam non patiuntur, Regnum cælorum adipiſci nequeunt. Hæc ille.

Iuſtitia nõ eſt in ſchiſmaticis, ideo Martyres eſse nõ poſsunt. Abacuc.2. Rom.1. Rom.13.

Quod quicunque patiuntur, ne ſchiſmate implicentur, ſi in eo ad mortem vſque perſiſtant, verè Martyres ſint.

CAPVT. X.

IAM verò illud credo nemini ambiguũ exiſtere, quin quòd ſicut afflictiones, quas hæretici aut Schiſmatici ſuſferũt,

illis

illis ad æternam salutem sint inutiles: sic calamitates, & ærumnę, atque etiam iniuriarũ & mortis perpessiones, quibus orthodoxi idcirco afflictantur, quòd sanam fidem prodere, quòd societatem Fidelium deserere nolint, illis perennem & perpetuam gloriæ coronam conciliare possint. Sic enim Dominus nos instituit, ita fore præuidit, quando dixit: Esto fidelis vsq; ad mortem, & tibi dabo coronam vitæ. Apoc.2.
Fidelis verò ad mortem is iure censetur, qui vitam potius profundere mortemque oppetere sit paratus, quàm vt vel deprauatum errorem orthodoxę fidei aduersantem approbet, vel Schismatis sacrilegio sese inquinari sinat. His itaque, qui eiusmodi interitu defunguntur, vitæ corona iuxta promissum Dei reposita est. Beatus vir, inquit S. Iacobus, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam repromisit Dominus diligentibus se. Recte quidem diligentibus corona repromittitur, eò quòd ijs, qui per odium schisma aut condunt, aut fouent, nulla gloriæ corona datur.

Quis est fidelis vsq; ad morte. Iacob.1.

Igitur qui dilectione seruata (quæ, violata vnitate, nulla potest esse) pro fide vel pace Ecclesiæ, quam scissuræ ac sectæ distrahunt & subuertunt, aduersa & mortẽ patiuntur: ij quidem secundùm quod

Domi-

Dominus, qui mētiri nescit, pollicitus est, Martyrij coronam assequuntur. Nā, sicut Apostolus docet. si commortui sumus cū
2.Tim. 2. Christo, & cōuiuemus: si compatimur, & conregnabimus. Sed simul cū Christo cōmori nō poterunt, qui vel per funestā hæresim, vel per nefariam schismatis discessionem à Christo abalienati & dissecti, ab illius corporis compage præcisi sunt & amputati. Nam nullo modo qui est à Christo dissociatus & auulsus, cum Christo compati aut commori poterit. Oportet eum, qui cum capite commori voluerit, manere in corpore: & si compati non possit, ergo nec conuiuere, nec conregnare. Sed qui per inconcussam fidei stabilitatem & fraternum amorem vel patitur, vel moritur, ne aut ipsemet, aut populus Dei vel à recta Religione ad perfidiam, vel à societate Fidelium ad impia Sectariorum conuenticula abducatur: is, quoniam simul cum Christo afflictiones & mortem sustinet, simul cum Christo vita & beato Regno potietur. Ille quidem à Spiritu sancto hæres
Rom. 8. Dei & cohęres Christi dicitur: & quia cōpatitur, conglorificabitur.

Tales serui Dei, qui vel pro fidei integritate, vel pro pace & vnanimitate populi Dei pressuras, angustias, tormenta & mortem sufferunt, quoniam cum Christo, qui fidem

fidē plantauit, concordiā & vnanimitatem tanquam Diuinū quoddā pignus suis reliquit, simul calamitates & mortem perferunt, certò sperare poterūt, quod post decursum huius vitæ stadiū, brauium & victoriæ palmā accepturi sunt. Nā, sicut Dominus affirmat, qui perseuerauerit vsq; in finē, hic saluus erit. Matth. 24. Qui licet corpore diros laniatus ferat, morteq; obierit: spiritu tamē interim sedatus & tranquillus est, & posteaquā corporeis vinculis anima fuerit soluta, ab Angelis Domini ad hoc paratis & constitutis, sicut de Lazaro Dominus Luc. 16. refert, ad fœlicem requiem & beatorū Spirituum agmen deducetur. Sit igitur hoc 1. Cor. 9. illis studiū, qui istiusmodi certamine exercentur, vt legitimè pugnent. Nā nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit. At legitime nō certat, qui extra areā luctatur, qui in ipso stadio nō currit, qui non cū hoste, sed cū amico, non cū diabolo, sed cum Christo bellū inierit. Quisquis vero fraternā concordiā rumpit, & ad sectas pertrahit, is pro diabolo cōtra Christum propugnat. Christus enim charitatē commendauit, concordē suorū vnanimitatē per Spiritum sanctū cōstruxit, & pacem tradidit. Qui igitur intra septa Ecclesiæ sese cōtinet & cōtra vnitatis ruptores vsq; ad sanguinē pro Ecclesiæ pace dimicauerit, is quoniam

Qui sunt qui legitime certat.

legi-

legitimè certauit, ab Agonotheta in cæle-
sti Regno coronabitur. Neq; moueri de-
bet, etiamsi grauissimas tempestates in-
crudescere & desæuire videat, etiamsi im
placabilem humani generis hostem gra-
uiora subinde pericula ac supplicia per
suos carnifices adhibere sentiat: quia &
Consola tiones Dei paratæ tẽpore affli ctionis. præsenti tempore à Patre misericordiarũ,
qui consolatur nos in omni tribulatione,
consolationem assequetur, & quãtò acer-
bior fuerit persecutionis procella, tantò
vberior & copiosior Dei consolantis sen-
tietur benignitas. Sicut enim abundant
2.Cor.1. afflictiones in corpore nostro, ita per Chri
stum abundat consolatio nostra, & post
decursum huius tẽporis curriculum, splẽ-
didiore immortalitatis veste circumami-
ctus, abundantiori gloria perfruetur. Si-
1.Cor.3. cut socij estis, ait electionis vos, passio-
num Christi, sic eritis & consolationis, &
vnusquisq; mercedem recipiet iuxta pro-
Roman.2. prium laborem, ab eo, qui reddit vnicuiq;
secundùm opera sua.

Prouiden dum inpri mis vt Chri sti passio- num socij simus. Illud itaque imprimis prouidendũ est,
vt socij simus passionum Christi. Quod
quidem fiet, si vt Christus pro omnibus
mortuus est, vt filios Dei dispersos in vnũ
Ioan. 11. congregaret, ita & nos animas nostras pro
Ioan. 15. fratribus nostris ponamus, ne qui sub vno
Ioan. 10. Pastore in vnum ouile congregati sur t, à

rabi...

rabidis lupis dispergantur, & absque Pastore palantes pereant. Qui verò ad eum modũ Christo in passionibus sociantur, gaudere debent. Sic enim Princeps Apostolorum consulit, scribens: Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eiusdem gaudeatis exultantes. Non ergo solùm patienter ferendæ sunt istiusmodi pro Domino persequutiones, sed etiam gaudendum est, quoties in illas inciderimus, quòd per illas probatio fidei nostræ multò pretiosior auro quod per ignem probatur, reperitur in laudem, gloriam, & honorem, in reuelationem Iesu Christi, sicut Apostolus Petrus scripsit. Et quantò propius ad vltimum conflictum peruenerimus, tantò ardentius contendere, atque ad palmam propositam acriùs anhelare debemus. Quemadmodum enim cursores cum ad metam propius accedunt, maiore pernicitate prouolãt, & qui diuturna maris tempestate iactati sunt, cum portum in prospectu cernunt, lętantur & animos erigũt: sic certè quò vicinius ad extremum actum deducimur, eò & intentius niti ad brauiũ supernæ hæreditatis, & alacrius portum æternæ salutis ingredi cõuenit, nosq; mutuò consolantes, & inuicem cohortantes, tantoq; magis, quantò viderimus appropinquan-

Gaudium ex societate passionum Christi.

1. Petr. 4.

Iacob. 1.

1. Petr. 1.

Heb. 10.

cinquantem diem, oportet mortem pro Christo, quæ vitam perennem in Christo conciliabit, libenter amplecti. Si enim cõplantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et tum maximè similitudini mortis Christi inserimur & complantamur, quando Christũ imitãdo pro Ecclesia, quã ille suo sanguine redemit, sanguinẽ nostrũ fundi toleram⁹.

Rom. 6.

In certamine martyrij, quæ retro sunt oportet obliuisci.

Dum autem in hoc certamine exercemur, oportet iuxta Pauli exemplum, quæ retro quidem sunt obliuisci, & ad ea, quæ priora sunt extendi, & ad destinatum brauium suspirare. Quod quidem facilius ac commodius faciemus, si secundum eiusdem Apostoli consilium, omne pondus & circumstans nos peccatum deponentes, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta. Nam si quæ Deus noster pro redemptione nostra perpessus fuerit, ob oculos semper habeamus, & diligenti consideratione contemplemur immanissima iniurias & probra, quæ Dominus pro nobis pertulit: libentius certè & alacrius, quæcunque ferenda sunt, sustinebimus, præsertim si viuida fide & firma ac non vacillante spe æternum illud glo-

Philip. 3.

Hebr. 12.

ria

riæ pondus, quod momentanea afflictio- 2.Cor. 4.
num leuitate paritur, concipimus, & amplectimur. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Hæc enim cogitatio, si modò altè pectori sit impressa, mirificè leuabit eum, qui ex tribulatione iniicitur, doloris sensum.

Nam si innocens Agnus Dei tanta perpessus sit ad exhaurienda peccata nostra: nónne par est, vt nos quoque afflictiones feramus pro beato ipsius Regno? Si Christus non est ingressus proprium Regnum, Luc. 24.
nisi per Passiones: nunquid tam delicatus quisquam erit miles, vt velit Regnum cælorum cum voluptate obtinere? præsertim cum Christus passus sit pro nobis, nobis 1. Petr. 1.
relinquens exemplũ, vt sequamur vestigia eius, & cùm scriptum sit, quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare in Regnum Dei. Est quidem ista malorum Actor. 14.
perpessio non solùm diuinum Dei donum, (Vobis, inquit, Apostolus donatum Phil 1.
est, non solùm vt in illum credatis, sed vt etiã pro illo patiamini) sed & aperta declaratio iusti Iudicij Dei, vt digni euadamus Regno Christi. Id quod ab eodé Apostolo docemur, hec scribente: Gloriamur, inquit, in Ecclesia Dei pro fide vestra, &

pa-

patientia in omnibus persequutionibus & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini Regno Dei, pro quo & patimini. Siquidé est iustum apud Deum, retribuere retributionem ijs, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cælo. Vnde perspicuum est, eos cælesti requie vnà cú Christi Apostolis fruituros, qui in hoc seculo pariter cum ipsis pro Christi Ecclesia persequutiones pertulerunt, & quòd per afflictiones efficiuntur hæredes digni Regno Dei, pro quo tá grauia perpessi sunt.

2.Thes.1.

Nam si ira sit illis reposita, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati: certè gloria, honor & pax illis reseruabitur, qui per animi submissionem & vinculum pacis, non solùm obediunt fide & veritati parent, verùm etiam vitam prodigere potius parati sunt, quàm vel diuinam veritatem erroribus adulterari, vel Ecclesiæ concordem vnitatem per schismata discindi patiantur. Et si is, qui supplicia & mortem patitur, ne idololatria contaminetur. cælesti Regno dignus existimatur: profectò & ille multò magis iustitiæ coronam assequetur, qui se morti objicit, ne Ecclesia Christi sectis dilanietur, aut ne ipsemet schismatis funesto scelere, quod ido-

Rom.2.

Idololatria atrocius eſt, polluatur. Nec ego hoc ipſum à meipſo loquor, ſed & idẽ Scripturis ſanctis conuincitur, idq; ipſum olim à ſanctiſsimo viro traditum eſt. Recordare, quæſo, quid Beatus Dionyſius Alexandrinus olim Nouato ſcripſerit, qui dicebat, ſe inuitum ab Eccleſia receſsiſſe. Si inuitus, inquit, impulſus es, declarabis hoc, ſi voluntarius redieris. Oportuerat quidem pati omnia, ne ſcinderetur Eccleſia Dei, & erat non inferior gloria ſuſtinere martyriũ, ne ſcindatur Eccleſia, quàm eſt illa, ne Idolis immoletur. Imò ſecundũ meam ſententiam, maius hoc puto eſſe martyrium. Ibi namque vnuſquiſque pro ſua tantùm anima, in hoc verò pro omni Eccleſia martyrium ſuſtinet. Sed nũc ſiue tu ſuadere, ſiue etiam cogere potes fratres redire ad concordiã: maius tibi erit emẽdationis meritum, quàm fuerat culpa commiſsi. Quia illud iam non imputabitur: hoc etiam laude dignum ducetur. Si vero illi in incredulitate permanſerint, ſaluans ſalua animam tuam. Vides iam, per antiquum & celebrem Dionyſium Alexádrinum martyrium illud, quod ne vnitas diuidatur ſuffertur, prætuliſſe alteri martyrio, quod in recuſatione idololatriæ toleratur. Ex his proinde clarum efficitur, Chriſtianum, Catholicum & pium omnẽ

Euſeb.l. 6. Eccleſ.hiſt Cap.35.

Nota.

Omnis perſecutio potius eſt ſuſtinẽda quã in Schiſma nicidamus

Auguſt. de vera relig. Cap. 5.

potius perſequutionem ferre debere cum patientia, quàm vt in vllam ſchiſmaticam ſentinam ſemet prouoluat.

An liceat ingraueſcentis perſecutionis rabiem, qua orthodoxi affliguntur, quòd ſe ad ſchiſmaticos aggregare nolint, ſimulatione eludere.

CAPVT XI.

Diſsimulatio atq; ſocordia orthodoxorũ cauſa horũ fluctuum.

CVM ſtatum præſentis Eccleſię mẽte & cogitatione complector, cumque ea, quæ per orbem Chriſtianũ fiunt, internis animi oculis luſtro & circumſpicio, atque deploratam pietatis ſtragem & horrendam Religionis vaſtitatem ac euerſionem conſidero, & quæ ſit tantarum ruinarum tantorumque malorum origo & cauſa perſcrutor: comperio, maximos hos fluctus per ſocordiam & ignauiam orthodoxorum in populum Dei liberũ curſum obtinuiſſe, & per ipſorum, qui reſiſtere & contrà cõniti debuerant, diſsimulationem ac ſomnolentiam maximas ſibi vires comparaſſe. Si enim naſcentis mali initio pij homines ſeuerè Schiſmatis ſatores corripuiſſent, ſi ſua taciturnitate hoſti ingreſſum non aperuiſſent, ſi pro fide Catholica & Eccleſię vnanimitate

nimitate fortiter pugnassent, si non simumulando ac dissimulando Sathanæ satellites fouissent, & seuerioris disciplinę fręna laxassent: nunquam profectò ad tantum incremẽtum pestis tam nefanda prorupisset, nunquam tam impuri homines tam miserandam Ecclesię deformationem intulissent, nunquam tantas turbas & tot hominum millia suis fraudibus & sathanicis imposturis dementassent.

Non igitur suis ipsorum viribus, sed orthodoxorum languore & desidia valuerunt, qui Christi Ecclesiam turpissimis scissuris dissecuerunt, qui pro fide perfidiam, pro sana doctrina nequissimos errores, pro pace seditiones ac intestina bella subintroduxerunt. Id quod isti seductores nunquã effecissent, si vel Pontifices ea, qua conueniebat, vigilantia super Dominicum gregem excubuissent, vel tanquam solertes Pastores ad primam luporũ irruptionem exclamassent, & pastorali baculo rabidas & voraces bestias ab ouili abegissent, vel etiam singuli è Grege Dominico apertis verbis & cõstanti pectore veritatẽ, quã in Ecclesia didicerãt, profiteri, & cõtra impostorũ vesanã fraudulentiã simplicẽ & ingenuã orthodoxæ fidei confessionẽ opponere voluissent. Cęterũ cùm Pastores ad ingrauescentẽ impietatis procellam

Pastorum vigilantia res maximè necessaria cõtra hæreses.

conuiuere, & periculum imminens dissimulare, quumque populus suam, quam tenebant & docti fuerant, fidei rationem reticere, & se esse, quod non erant, quasi turbulentæ & perditæ disciplinæ fautores simulare cœpissent: tum certè opportunam occasionē nacti rapaces lupi, in oues Christi audacter impetum facere, & Domini gregem dispergere ac mactare sunt ausi.

Simulatio ac dissimulatio in Religionis negotio grauissima pestis.

Nulla proinde grauior potest esse verę Religionis labes ac cörruptela, quá impia ac nefaria simulatio ac dissimulatio. Si enim vniuersi Christiani id, quod ex animo sentirent & crederent, ore ac voce contestarentur ac proferrent: multum profectò Pseudodidascalorum & mendacium Magistrorum audaciam reprimerent, conatum retardarent & impetum cohiberent. At dum illi negligentius agunt, & languore ac desidia contabescunt, veritatis verò inimici nocte ac die instantes sua prodigiosa dogmata diuulgant: paulatim eadem serpens contagio vniuersas Christianę Reipublicę partes corripit & permeat, ac vna quasi calamitate comprehendit & depopulatur. Grassantem verò hanc pestē non parum prouexerunt quidam callidi veteratores, qui quæstum pietatem esse putantes, & pro veritatis assertione maledicta, iniurias ac iacturas ferre detractantes,

Contra timidos ac versipelles qui se ad omnē falsæ Religionis ventū mutant.

ad omnem ſe ſtatũ conuertunt, imò quaſi carnales & mundi huius amatores, ſecularia & caduca commoda cæleſti hæreditati anteponẽtes, aliud lingua promptũ habere, aliud corde incluſum retinere ſolent.

Cùm orthodoxus quiſpiam Imperio potitur, tum & ſunt, & haberi volũt maximè orthodoxi & catholiciſsimi: at poſtquam hæreſeos fautor & ſchiſmatis propagator ad gubernaculum Regni peruenerit, tum ſimulare, ac diſsimulare ſeque præſenti rerum conditioni attemperare didicerunt, intus in pectore orthodoxam fidem retinere, nec niſi in angulis, quando cum ſui ſimilibus congrediuntur, profiteri, aliâs palam ac publicè erroribus receptis aſſentiri, & ſuis eoſdem ſententijs ac calculis cõprobare non reformidant. Et tamen hæc agentes, & tam pernicioſa ſimulatione tam ſibi, quàm alijs imponentes, animabus ſuis vulnere læthali tauciatis, Dominoq; grauiter offenſo, exiſtimant ſe ſatis tutos & incolumes exiſtere, dummodo præſentem pœnam effugere poſsint. Qui quidẽ duobus ſimul maximis peccatis obnoxij ſiũt. Nam & eos, quos tueri, quibus conſulere debent, deſertos eſſe patiuntur, & ſuo ſilẽtio ac nefanda ſimulatione fœdas Eccleſiæ & Chriſtianæ Religionis vaſtationes videntur probare.

Vera deſcriptio veteratorum noſtræ ætatis.

At longè aliter à sanctis sunt Patribus instituti & edocti. Nã D. Basilius ait, quòd qui morbo periculoso, si liceat, non occurrit, eâdem, qua ille, qui sibi manus infert, pœna damnabitur. Augustinus etiam ait, quòd qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus est: ille, quia prodesse non vult: iste, quia nocere desiderat.

Homil. de siccitate & fame.

Augustin. citat. 11. q. 3 c. Quisquis

Atque hæc quidem de illis dicuntur, qui ignaua quadam vecordia ijs, quæ populo Dei inferuntur, incommodis ac dispendijs nó obsistunt, non aduersantur: neque tamen vllo suo externo assensu nec subscribendo, nec iurando, nec se in funestam schismaticæ communionis societatem conijciendo, sacrilegam impietatem comprobant. Nam alia est eorum ratio, qui tantùm taciturnitate & vafricie quadam callida ac veteratoria impietati irrumpenti non contradicunt, quò sibimet prospiciant: alia eorum, qui etiam suis sententijs ac calculis schisma & errores confirmant, cùm ipsimet in corde diuersum sentiant. Leuior est illa superior, hæc autem posterior magis perniciosa & grauis, vtraque tamen hominibus, qui ijs rationibus implicantur, mortifera & Deo est inuisa, qui virum dolosum abhominatur, sicut Propheta ait. De vtrisque breuiter pro-

Deteriorẽ esse causam subscriptorum, quàm eorum qui solum taciturnitate sua non resistunt cũ debent.

Psal. 5.

pronunciauit Spiritus Dei, quando dixit: Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium. Et rursum: Fraudulenti, vasa pessima. Pessima enim sunt illius arma, qui fraudulentia & simulatione putat se suæ melius saluti consulturum, quâm Dominum. Id quod tam hic quàm ille facit. Vterque enim occultando ac simulãdo, suam incolumitatem tueri & sibi cauere cogitat. Esa.29. Esa.32.

Atque vt primo loco de priore ratione loquamur, an censemus illum, qui tum reticet, cum & suæ, & alterius saluti vera loquendo prouidere possit, Christiani hominis officio fungi? Certè non apparet. Quid enim aliud est, quod olim etiam Ethnicis execrabile iudicabatur, quàm erranti viam non monstrare, id est, homini errore circumuento veritatem non proloqui? Neque enim, sicut ille disertus Gentilis Philosophus scripsit, vlla pernicies vitæ maior inueniri potest, quã in malitia simulatio intelligentiæ. An tu cum hominem in profundum gurgitem vel per caliginem, vel per temeritatem præcipitem ruere vides, illum non admonebis præsentis periculi? An non si eum sinas in præcipitium ruere, cûm & monitis, & consilijs iuuare possis, meritò censebere calamitosæ neci consensisse? Cicer.3. Offic.

Rom. 1. Atqui non solùm qui faciunt, quæ iniusta sunt, verùm etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Et sicut Apostolus Iacobus docet, scienti bonum facere, & nó
Iacob. 5. facienti, peccatum est illi. Hoc est enim in quo se vehementer redarguit Esaias Propheta, non quia cum malis habitarit, sed
Esai. 6. quia mala nó redarguerit. Sic namque ait: Vę mihi, quia tacui.

Bern. ep. 7. ad Adam. Ergo cùm tu eam intelligentiam diuinitus acceperis, qua proximo periclitanti subuenire queas, iure quidem illius ruinæ ac lapsus reus condemnabere, si non admonueris, si non (quantū poteris) illi præstiteris, si non pro viribus suppetias tuleris. An tu cum fratrem hostili telo videas peti, non hostem, si possis, propellas, & fraternæ subuenias saluti? Hìc fortè dicturus es: Vellem quidem, sed vereor, ne inde quoque mihi aliquid periculi creetur. Vbi est igitur charitas, quæ animam pro
Ioan. 15. fratribus ponat? Et tamen non tantú aderit tibi discriminis, à quanto fratrem eripueris, etiamsi hoc incómodum inde obueniret. Nam illius animam corporis tui dispendio saluares, imò & tibi, & fratri æternam conciliares Beatitudinem, nec tamen eam, quam pertimescis, corporis fortassis incurreres incommoditatem.

Quare inutilis planè & imbellis pauor eijcien-

eijciendus eſt, iſtaque mollities penitus ex animo extrahenda. Et illud Domini ſemper ob oculos habendum eſt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. At dicis: Nũ igitur potius quàm ſimulare quidpiá, memet mortis periculo obijcere debeo? Maximè, quando & fidei negotium, & fraterna ſalus periclitatur. Quicquid enim ad purum Dei cultum pertinet, id temporariæ ſaluti anteponendum eſt. Non enim vita mea magis mihi eſt chara, quàm integra & incorrupta ſynceræ Religionis obſeruatio. Et ſi fraternum offendiculũ mea ſimulatione pariatur, conducibilius mihi eſſet, cum mola aſinaria demergi in profundo, ſicut Dominus docuit, quàm fratri eſſe offendiculo. Nam ſi ab Ethnico illo ſit ſcriptum, quòd qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in vitio, quã ſi parentes, amicos aut patriam deſerat: & ſi (vt Ambroſius noſter) qui non remouet, cũ poſsit, iniuriam & damnũ, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit: quanta ſolicitudine & cura proſpiciendum eſt, ne, cùm poſſimus prohibere, fratribus grauiſsimas animarum clades ſinamus importari? An non potius omnibus nos periculis offerre debemus? Profectò debemus.

Matth.10

Potius oppetenda mors, quã in negotio fidei & periculo fraternæ ſalutis tacendum.

Matth.18.

Cicero in Officijs.

Ambr.li.3. Offic.c.36.

Quid, inquis, Cùm ego idiota & indoctus ſim, cùm Paſtoris munus in me non

ſuſcepe-

susceperim, cùm possim silentio rebus & fortunis meis consulere: loquendo, aut palam quid credam contestando, certum mihi periculum accersam? Reuera aliud quippiam amplius postulat Præsulis & Pastoris dignitas, id quod paulò pòst dicemus.

Omnes & pastores & illiteratos debere contestari fidem cum fraterna salus poscit.

Quod verò ad te attinet, licet imperitus sis & illiteratus, licet priuatæ conditionis & nullo Ecclesiastico Magistratu fungâre, tamen quia Christianus es, quando fides Christi, aut fratris periclitatur anima, debes, quod est in te sitú, præstare: Nempe veram & orthodoxam Religionem tuo comprobare assensu, & non pati, vt per tuam timiditatem frater in periculum veniat. Erue, inquit, Dominus, eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.

Prou. 24.

Si dixeris, vires non suppetunt: qui inspectator est cordis, ipse intelligit, & Seruatorem animæ tuæ nihil fallet, reddetque homini iuxta opera sua. Tibi ergo pro viribus laborandum, vt fratres, qui per luporum seductiones ad perpetuum trahuntur interitum, in veram Christi libertatem vindicare & asserere possis.

Illud quoque ex Euangelio tuam diligen-

ligentiam excitare atque acuere debebit: Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Quomodo verò cùm Chriſto eſſe poterit, qui eos, qui contra fidem Chriſti ſermocinentur & garriant, patienter audit? Quomodò colligit, qui diſpergentes ſuo ſilentio fouet? Matth. 12.

Sed quid ſit de ijs ſentiendum, quæris? Non me, ſed Dominum roges. Ipſe enim dixit: Qui me non fuerit confeſſus coram hominibus, nec ego confitebor eum coram Patre meo qui eſt in cælis. Ergo ſi ego mea imbelli timiditate conſileſcens, Chriſtum non fuero confeſſus, ipſe coram Patre ſuo non agnoſcet me pro germano & genuino filio ſuo. Ille enim venit de ſolio Regni & ſede Patris, vt carne noſtra aſſumpta nos per carnem redimeret, & cùm veritas eſſet, veritatem loquendo, & pro veritate moriendo, nos ſuo exemplo inſtruxit, ſemper veritatem profiteri, & in veritatis confeſsione mori. Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ſic & vos faciatis. Ergo ad omnes verè fideles ſpectat, vt cum cauſa fidei oppugnatæ, aut fraternæ ſalutis ratio poſtulat, veritatem fidei liberè ac palam profiteatur, ne aut metu periculi & pœnæ con-

Matth. 10.

Ioan. 13.

contremiscens, aut flagitioso pudore exanimatus, dum caducam corporis salutem conseruat, perpetuam animæ salutẽ amittat. Qui enim, inquit Dominus, voluerit animá suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me,
Luc.11.14. saluam faciet illam. Quid enim proficit ho
Mat.10.16 mo, si lucretur mundum vniuersum, se autem ipsum perdat, & detrimentum suî fa-
Marci.8. ciat? Nam qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua & Patris & Sanctorum Angelorum.

Quem igitur pudet hoc in sæculo apertè profiteri Catholicam Christi fidem, is in sęculo futuro, cùm Dominus in Gloria & Maiestate venerit, à Christo cum summa sua confusione & ignominia non agnos-
Matth.24. cetur, imò verò cum otioso & inutili seruo, qui talentum sibi creditum in terra abscondit, mittetur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Sapientia, inquit Scriptura sacra, abscondita, &
Sapient.4. thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisq;? Melior est homo, qui abscondit suam stultitiam, quàm homo qui abscondit sapien-
C.1.de fide & Symb. tiam suam. Et fides, ait Augustinus, à nobis exigit officium & cordis, & linguæ. Et pòst: Ait enim Apostolus, corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

lutem. Oportet nos esse & iustitiæ memores, & salutis, quandoquidem in sempiterna iustitia regnaturi, à præsenti seculo maligno salui fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiã ore profiteamur fidem, quam corde gestamus.

Si verò ad omnem Christianum pertinet, in causa Religionis & negotio æternæ salutis summopere cauere, ne aut fratrem sua reticentia perire, aut fidem & salutem suam prodere velit: multò quidem id est diligentius ac solicitius ab ijs prestandum, qui ad Præfecturam Ecclesiasticam euocati, pascendis Domini gregibus præponuntur. Si enim illi, qui in acerbissima & crudelissima persecutione à Paganis ad incesta sacrificia trahebantur, ideò iustè reprehenduntur, quòd clara voce falsas infidelium acclamationes non refutassent (nam, sicut Eusebius refert, persecutores quibusdã Christianis, quasi sacrificassent, cùm non sacrificarint, imò ne appropinquassent quidem immundis sacrificijs, acclamabant, & ipsi taciturni abscedebant) in eo tantùm culpabiles, quòd crimen sibi obiectum cum silentio paterentur: profectò multò iustiore reprehensione digni erunt Præsules & Pastores, si gregem suũ à lupis laniari patiantur, & ipsimet aut taceant,

L.8. Eccl. hist. C. 2.

ceant,

Pastores multò magis, quam populu culpā los esse, si dissimulent.

ceant, aut dissimulent. Non ita Alexander ille Magnus & qui cum eo erant Christi sacerdotes, sed strenuè ac fortiter purulentis & adulterinis Arianorum furoribus obluctantes, pro sana & orthodoxa fide decertabant, non quidem sub modio accensam lucernam occultantes, sed super candelabrum ponentes, vt omnibus, qui sunt in domo Dei, quæ est Ecclesia Christi, luceret. Hæc, inquiunt, docemus, hæc prædicamus, hæc sunt Catholicæ Ecclesiæ dogmata, pro his & morimur, & volentes cogere vt abiuremus, cōtemnimus, etiamsi tormenta admoueant, non auersantes spem in illis repositam.

Theod.l.1. Cap.4. e. ep. Alexa. Matth.5. 1.Timot.3

Si Valentinianus vir adhuc militaris, pugnum edituo inflixerit, quòd guttam lustralis & impuræ aquæ illius chlamydi insperserat, pollutum se, non purgatum dicens, & illa tam aperta confessione vtrunque Regnum promeruerit: Si Iouianus cum totius exercitus acclamatione Cæsar appellatus fuerat, magna cum libertate, neque Principum, neque incerta militum voluntate motus, responderit, se non posse qui Christianus esset, talium esse Imperator, neque copiarum Iuliani nefasta doctrina assuetarum Rex: si homines, inquam, militares tanta tamque ingenua veritatis confessione sunt

Theod.l.2 c.16 trip. hist. lib.6. Cap.35.

Theod.l.4 c.1.tripart. hist.l.7.c.1

vsi:

vsi: quidnam Religionis Antiſtiti eſt faciendum? Annon admirabile illud ſenis Eleazari exemplum imitandum, qui mortem potius acerbam delegit, quàm vel tantillum in Religionis negotio ſimulare vellet? Non eſt, ait, ætati noſtrę dignum fingere, vt multi adoleſcentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, propter meam diſsimulationem & propter modicum vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam & execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam etſi in præſenti tempore ſupplicijs hominum eripiar, ſed manū omnipotentis Dei nec viuus, nec defunctus effugiam. Aut non illud præclarum & omni poſteritate celebrandum Aphraatis egregiū facinus ſequendū eſt? qui cùm audiſſet ouile Chriſti à Valēte Imperatore vaſtari, à dulci ſolitudine ad regiam vrbem procurrit, atque Imperatori hanc ipſius vigilantiā reprehendenti maxima cū libertate reſpōdit, quod ipſo Imperatore domū Dei diſsidiorū & hæreſum facibus in flāmante, diſcurrēdum ſit, & ſumma cū ſedulitate enitēdum, vt excitatus ignis quā primùm extinguatur. Sin verò in tanto totius Fraternitatis diſcrimine & tam deplorata gregis ſibi commiſsi dilaniatione Paſtores & Pontifices ſupini ſtertant, & in vtramque (quod

2.Mach.6. Eleazari exemplum

Theod. l. 4 Cap. 26.

(quod aiunt) aurem dormire pergant, nõ al ud quam sal infatuatum, quod foris
Matth.5. mittitur, & ab hominibus cóculcatur, existimari poterunt.

Sic olim multi è Principibus, sicut Euágelista testatur, in Christum crediderunt,
Ioan.12. sed propter Pharisæos non confitebantur, vt non eijcerentur è Synagoga. Dilexerũt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. De quibus ἀνθρωποαρέσκοις
Gal.6. scripsit Apostolus. Quicunque, inquiens, volunt in carne placere, hi cogunt vos circumcidi tantùm, vt Crucis Christi persequutionem non patiantur. Et rursum: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quando itaq; tali simulatione corporis tormenta declinant, Christi gratiam perdũt, & illius à se misericordiam depellunt. Ad vnum ex istis Dominus loquens, ait: Scio opera tua, quia neq; frigidus es,
Apocal.3. neque calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Miserrima proinde est tepidiusculorum conditio. Quid verò? Nunquid
Act.5. Ananias cum vxore sua Saphira aliam vllam ob causam repentina morte extinctus
Simulationis pœna in Anania & Saphira. est, quàm quod in Religionis negotio simularit? Neque verò qui pecuniæ aut mercede persecutionis rabiem deuitant, pro-

banui

bandi sunt. Nam Themisus, qui per grandem pecuniam vincula deposuit, sicut Eusebius ex Apollonio refert, veræ confessionis fructibus caruit. Non ita Apostolus Paulus, quem Fœlix Proconsul ad se ideo accersit, quòd speraret Paulum sibi pecuniam daturum. Sed spe sua frustratus est. Nihil enim obtulit illi Apostolus, imò si Paulus largitione ac munusculis suā è vinculis solutionem quæsisset, beneficio & gratia vinculorum fuisset orbatus, gloriamq́;, quam de Christi Cruce consequebatur, amisisset. In hac itaque causa, Pauli & reliquorum Apostolorū vestigia sequenda sunt, qui cum graui interminatione mandata accepissent, ne vltrà de nomine Christi loquerentur, dixerunt: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deū, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.

Contra eos qui in persecutione se redimūt pecunia.

Eccles. hist lib. 5. cap. 8.

Actor. 24.

Paulus cū potuit, noluit se pecunia liberare.

Non esse propter magistratus ciuilis mādatum, prædicatione verbi Dei supersedēdum.

Actor. 4.

Hos Beniamin Diaconus imitatus est, qui cùm ab impio Rege ea conditione dimissus fuerat, ne deinceps Christianam Doctrinam prædicaret, impossibile esse dixit, ipsum non participare alijs, quod ipse percepisset, lumen. Maxime vero clarum & illustre est quorundam Episcoporum in Africa factum, quibus cùm à Rege Ariano in ipsa vnitatis detensione silentium imponeretur,

Trip. hist. lib. 10 c. 33.

Theod. l. 5 Cap. 39.

nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo consensisse viderentur, iussu Regis linguis radicitus excisis, ita tamen pro defensione veritatis etiam sine lingua loquebantur, sicut prius loqui per linguã consueuerant. Quæ res ne carere fide videatur, narrat Gregorius, eosdem Constantinopolim venisse quo tempore ipse ibi erat, & seniorem quendam Episcopum conuenisse, qui se adhuc eorum ora loquẽtia sine linguis audiuisse testabatur, ita vt apertis oribus clamarẽt: Ecce videte, quia linguas non habemus, & loquimur.

Gregor. 3. Dialog. c. 32. & seq.

Itaque omni ratione circumspiciendum est, ne Pastores vllis se Syngrapharum nexibus obstringi sinant, quibus prohibentur, ne quid contra grassantem venenatæ doctrinæ perniciem loquantur aut prędicẽt. Error enim, sicut Beatus Innocentius scripsit, cui non resistitur, approbatur, & veritas cum non defensatur, opprimitur. Nec enim caret scrupulo societatis occultę, qui manifesto facinori desinit obuiare. & D. Bernardus: Est, inquit, consentire silere, cùm arguere possis. Nonne orthodoxi olim Patres nostri, cùm admonerentur, vt Regis Hunerici voluntati cederẽt, audacter ac viriliter omnes clamarũt, Christiani sumus, Catholici sumus? Et rectè quidem. Nam eos, qui declinant in obligationes

Dist. 82.

Ser. 2. de Ioã. Bapt.

Vict. lib. 2. de persec. Vandal.

gationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. & quicunque vult amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur. Somnolentos igitur Duces ac Doctores elingues Dominus per Prophetam increpat, quando ait: Speculatores eius cæci, omnes nescierunt, vniuersi canes muti, non valentes latrare. *Psalm. 12, Iacob. 4.5 Esa. 59.*

Cæterùm qui verè pij sunt Præsules, operam sedulam nauare debent, ne vel vna ouicula, inertia & vecordi segnitie à caulis Domini abripiatur & pereat. Id quod melius præstare poterunt, si cauerint simulationem, & Diuinorum eloquiorum ac D. Iesu & Sanctorum Apostolorũ ac Martyrum exempla sibi imitanda esse statuerint, semper in animo hanc Pauli sententiam versantes: Ideo habentes hanc administrationem, iuxta quod misericordiam consequuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes Verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo: vt cum Apostolo dicere queant: Sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in *Quid faciendũm Episcopis ac pastoribus. 2.Cor.4. 1.Thes.2.*

sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ. Deus testis est. Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs. Quicunque autem iuxta regulam hanc incedunt, pax super eos, & super Israel Dei.

Galat. 6.

Atque de priore quidem simulandi ac dissimulandi ratione, quæ quidem leuior putatur, hactenus dictum esto. Eorum verò, qui altero illo simulationis genere contaminantur, maximè deplorata conditio est. Nam cùm ipsi se in profundum impietatis barathrum demerserint, falsò tamen sibi persuadent, quòd rectè agunt, quòd sine crimine sunt, imitantes perniciosissimam Helchesaitarum & turpissimi Basilidis disciplinam. Helchesaitæ enim dixerunt, quod in persecutionibus, si quis fidem negauerit, eum nihil flagitij admisisse, eò quòd is, qui corde firmus sit, licet ore pro necessitate negauerit, corde tamen in fide permaneat. Eandem rem prodigiosus quoque Basilides adstruxit. Hi hominem ipsum dissecant, atque in diuersum distrahunt, dum permittũt, aliud lingua proferre & externo gestu probare, aliud intus in pectore retinere. De quibus Apostolus scripsit: Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. Non ergo existimet, quòd aliquid sit à Deo accepturus

Secundum genus simulationis.

Helchesaitarum dogma. Eus. Eccl. hist. lib. 6. cap. 28. & lib. 4. ca 8.

Basilidis de simulatione figmentum. Eus. Eccles. hist. lib. 4. Cap. 8.

Iacob. 1.

cepturus. Et Scriptura alio loco ait: Cor ingrediens duas vias, non habebit successus: rursumque Propheta dicit: Dominus non miserebitur, quia omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os loquutum est nequitiam. In omnibus ijs nō est auersus furor eius. Neque enim furor Domini ab istiusmodi sceleratis ac perditis simulatoribus vnquam auertetur, quin illud eis adhæreſcat ſemper, quod eſt ſacris oraculis prædictum: Væ, inquit, duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus male facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò nō proteguntur ab eo.

Ecclef. 3.
Efa. 9.
Ecclef. 2.

Ergo, qui callida quadam tergiuerſatione duobus ſimul itineribus inſiſtere, duo diuerſa & inter ſe pugnātia dogmata tueri & tenere, duas diuerſas & inuicem cōfligentes Religiones amplecti inſtituit, & ita ſe comparat, vt Chriſtū occultè, Antichriſtum palam ac publicè profiteatur: nonne omni tùm humano, tùm Diuino odio & ſupplicio dignus iudicabitur? Quiſquis verò eiuſmodi eſt, non Chriſti Diſcipulus, qui ſuos docuit, veritatem vſque ad mortem apertè ac liberè confiteri, ſed Baſilidis Symmiſta, aut Helcheſaitarum ſocius cenſebitur, qui ſuos ſic in-

ſtituerunt, vt in tempore afflictionis fidem in corde retinerent, lingua & ore inficiarentur. De quibus Iuſtinus Martyr apud Euſebium: Qui, inquit, negat quod eſt, ſine dubio culpabile iudicat quod negat. Hic enim mihi à Senecæ Philoſophi inſtituto non admodum diſcrepare videtur, qui vt Auguſtinus Libro 6. de Ciuit. Dei Cap. 10. narrat, in ſacris ciuilis Theologiæ, quibus Romana ciuitas abundabat, has partes elegit potius ſapiéti, vt eas in animi Religione non habeat, ſed in actibus fingat. Ait enim: Quę omnia ſapiens ſeruabit, tanquam legibus iuſſa, nó tanquam dijs grata. Et pòſt: Omnem iſtá ignobilium Deorum turbam, quam lógo ęuo longa ſuperſtitio cógeſsit, ſic adorabimus, vt meminerimus, cultú eius magis ad moré, quàm ad rem pertinere. Nec leges ergo illę, nec mos, ait Auguſtinus, in ciuili Theologia id inſtituerunt, quod dijs gratum eſſet, vel ad rem pertineret. Sed ille quem Philoſophi quaſi Liberum fecerút, tamen quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat: agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat, quia videlicet magnum aliquid eum Philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo, ſed propter leges ciuiú moreſque hominum, non quidem ageret

L. 4. Eccl. hiſt. c. 17.

tin-

fingentem ſcenicum in theatro, ſed imitaretur in templo, eò damnabilius, quod illa quæ mendaciter agebat ſic ageret, vt eum populus veraciter agere exiſtimaret. Scenicus autem ludendo potius delectaret, quàm fallendo deciperet. Hæc Auguſtinus.

Quid verò? An tu, quandocum orthodoxo ſermones confers, te quidem corde orthodoxum eſſe prædicas, ſed metu & terrore adactum, non audêre id palam aſſeuerare dicis? Corde itaque, vt ais, Chriſto: corpore & lingua, Antichriſto ſeruis? Annon audiuiſti Dominum dicentem: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire? Matth. 6.
Non ergo Chriſto & Antichriſto, ſed ſoli ſeruis Antichriſto. Annon legiſti, quòd Domin⁹ Deus tuus, fortis, zelotes ſit, & quòd Exod. 20.
gloriam ſuam alteri non dabit? Is verò nō 34.
patitur, vt Antichriſtus ſecum in eodē homine copuletur. Totum hominem ille finxit, totum hominem paſcit, totum hominem pretioſo ſanguine ſuo redemit: totū proinde hominem ipſe poſtulat, & totius hominis obſequium ſibi exhiberi vult. Suum pro te corpus paſſus eſt laniari flagellis, paſſus eſt tormētis diſcruciari, paſſus eſt Cruci pro te affigi, ſuum cor pro te lancea cōfodi paſſus eſt, ſuam animam pro tua redemptione impendit, vt tu illi vicisſim

Esa. 48.

Chriſtus confeſsionē totius hominis poſtulat.

 ſim

ſim toto corpore tuo ſeruires, toto ex corde tuo & tota aĩa illũ coleres, illius Maieſtatẽ amares, illius te obſequio dederes & mancipares. Annon ſuccurrrit tibi, quod eſt ab Apoſtolo ſcriptum: Pretio empti eſtis, & non eſtis veſtri, & quòd Chriſtus in hoc mortuus ſit, & reſurrexerit, & reuixerit, vt viuorũ ac mortuorum dominetur? Quomodo ergo corpus tuũ ab illius dominatu ſubducis, atq; Antichriſti tyrãnidi ſubijcis? Pro oĩbus mortuus eſt Chriſtus, ait Apoſtolus, vt qui viuũt, iam nõ ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Quomodo aũt Chriſto viuere poteris, qui vitę tuę inſtitutionẽ Antichriſto addixeris? Annon perhorreſcis, ſicut iam diuiſus es, aliud mẽte & aĩo tenens, aliud externo vultu, lingua, voce ac geſtu comprobans, ne Dominus, cũ venerit, te ſeruũ inutilẽ diuidat, partẽq; tuá cũ hypocritis ponat? Nunquid nõ legiſti, quid Ioannes Euãgeliſta ſcripſerit: Deus, inquit, lux eſt, & tenebrę in eo nõ ſunt vllę. Si dixerimus quia ſocietatẽ habemus cũ eo, & in tenebris ambulamus, mẽtimur, & veritatẽ nõ facimus: ſi autẽ in luce ambulamus, ſicut ipſe in luce eſt, ſocietatẽ habemus adinuicẽ, & ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emũdat nos ab omni peccato. Ergo cũ nõ in luce, ſed in tenebris ambules, cũ errores & adul

terina

1. Cor. 7.

Rom. 14.

Nõ eſt ſeruiendum corpore diabolo, & mẽte Deo.

2. Cor. 5.

Luc. 12.

1. Ioan. 1.

terina dogmata, quę tenebrę appellantur, recipias, cùm in obscura & caliginosa Schismaticorũ gurgustia tete cõijcias: annó in tenebris ambulas? Nullã itaq; societatẽ cũ Deo habere poteris. Quid, an quidquã tibi, qui è dolis & fraudibus totus cõflatus es, cõmune esse poterit cũ Christo, qui veritas est? Quũ foris externa simulatione te ad Antichristi voluntatẽ totũ cõponis, & intus, sicut dicis, Christũ & illius fidem in corde conseruas: annó vtrinq; medax cõuinceris? Lingua, vultu, voce, & quibuscunq; modis poteris, te Schismaticum esse & hæresim amplecti ostendis, sed corde non cõplecteris. Ergo lingua, voce & reliquo externo gestu hoibus mentiris, & veritatẽ nõ facis. Rursum, intus in pectore Religionẽ Christi Catholicã te amplexari dicis, id quod lingua & voce nõ facis. Interna ergo cordis cogitatione Deo illudis, imò tibiipsi illudis, & Deo mentiris, qui id corde intus illi dicis, quod foras hominib⁹ nõ dicis, & id intra te falsò simulas, quod nõ est intra te. Nam si verè intra te esset amor Diuinæ veritatis, certè is te hominib⁹ simul & Deo illudere ac mẽtiri prohiberet. Ergò cùm tã hoibus, quã Deo mẽdax esse cõuicaris, nõ pertimescis quod scriptũ est: Et oibus mẽdacibus pars illorũ erit in stagno ardẽte igne & sulphure? Et rursum: Foris

In tenebris qui ambulant.

Istos simulatores nihil habere cum Christo cõmune, sed cũ Antichristo & mendacio.

Apoc.21 & 22.

canes

canes & venefici, & omnis qui amat & facit mendacium. Quare cùm te tetra & funesta vanitate obstrictum esse, tam horrenda & mendaci simulatione tam apud Deũ, quàm homines inquinari videas, nó expauescis, non trepidas, non vereris stagnũ illud igne & sulphure ardens, in quod mendaces omnes conijciuntur? Non metuis, ne foras extra ciuitatem illam cęlestẽ excludaris? Sempiternum interitum & cruciatum non times? Perdet enim Dominus omnes, qui loquuntur mendacium.

Psalm.5.

Sed fortasse de numero es illusorum eorum, de quibus est apud Prophetam: Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos. Quia posuimus mendaciũ spem nostrã, & mendacio protecti sumus. Quibus Dominus ait: Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura, & subuertet grando spem mendacij, & protectioné aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno: non stabit flagellum inundans, cum transierit, eritis ei in cõculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos. Reuera quando dies irę, & reuelationis, & iusti iudicij Dei illuxerit, in quo & cogitationes cordium reteg. tur, & de vnoquoque

Esa.28.

Pœna illusorum & mendaciũ

Rom.2.
1.Cor.4.

que iuxta ea, quæ in corpore gesſit, iuſtè iudicabitur, & iudicium in pondere, ac iuſtitiam in menſura Dominus poſiturus eſt: tum quidem mendacio & ſimulationi nullus relinquetur vltrà locus, tum vanę mortalium fiduciæ, quibus & ſibimetipſis, & cæteris impoſuerunt, reſcindentur, tum fœdus, quod cum morte & inferno pepigerant, irritum erit, neque quidquàm illis ſuccurrere poterit mendacium, imò multum quidem obeſſe & officere poterit. 2. Cor. 5.

Illud igitur Apoſtolicum conſilium alto pectore premendum eſt: Nolite errare, fratres: Deus non irridetur. Quę enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Et rurſum: Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes ipſorum. Nam ſi quæ apud ipſos gerũtur, recta ſunt: ea quę in Catholica Chriſti Eccleſia geruntur, recta nõ ſunt. Et rurſum: Si ea, quæ per Spiritum ſanctum à Chriſto & ipſius Apoſtolis vniuerſæ Eccleſiæ ſunt tradita, Deo placeant, & hominibus vtilia ſint: hæc profectò, quæ ab Hæreticis in ſchiſmate excogitata ſunt, & Chriſti inſtitutis diſcrepant, nec Deo placere, neq; hominibus poſſunt prodeſſe. Nam ſi illa, quæ ſemper in vniuerſo fideli populo celebrata ſunt,

Gal. 6.
Epheſ. 5.
Chryſ. homil. 11. in 4. Epheſ.

ſunt, à Chriſto ſunt: hęc, quę in angulis & tenebricoſis latebris nuper ab infidelibus prodita ſunt, ad aliũ authorẽ, quã ad Antichriſtũ & Sathanã, referri nequeũt. Ergo à verè pijs Chriſti cultorib9 debẽt declinari.

Quid ergò, inquis? Non eſt Principibus noſtris, qui ad iſta nos nõ ſolùm inuitãt, ſed diris etiã ſupplicijs adigunt, obtemperandũ? Quũ Deo Princeps aduerſatur, tum

Act. 4. eſt Apoſtolicum nobis exemplum ſequendũ, qui dixerũt, quòd Deo magis oportet

Euſeb. Eccleſ. hiſt. li. 4. ca. 15. obedire, quàm hominibus. Docemur, inquit Polycarpus, Principibus, & Poteſtatibus ijs, quæ à Deo ſunt, honorẽ deferre, eum ſcilicet, qui religioni nõ ſit cõtrarius.

Deo quando ſit magis parendum, quã hominibus

Nam cùm Princeps tyrannicis edictis ad hæreſim & ſchiſma rapiat, Dominus verò Ieſus ſuis ſacris oraculis cõtrà ad vnitatem Eccleſiæ & rectã ac ſanã fidẽ adhortetur: cui dubiũ eſſe poterit, quiſnam horũ ſit ſequẽdus? Nõnne eſt à Spiritu ſancto dictũ: væ qui carnẽ ponit brachiũ ſuum? Et, ma-

Hier. 17. ledictus qui confidit in homine? Et rurſum. Nolite cõfidere in Principibus. Bea-

Pſal. 145. tus eſt igitur ille vir, cuius nomẽ Domini ſpes eius, & non reſpexit ad vanitates &

Pſal. 34. inſanias falſas. Bonũ eſt enim magis confidere in Domino, quã confidere in homine.

Pſal. 117. Annõ ſacra nos ſcriptura admonet, dicẽs:

1. Mach. 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia glo-

gloria eius ſtercus & vermis eſt. Hodie extollitur & cras nō inuenietur: quia conuerſus eſt in terrā ſuá, & cogitatio eius perijt. Pulcherrimè verò (vt omnia) D. Auguſtin. Si illud iubeat (id eſt, poteſtas) quod nō debeas facere, hîc ſanè contemne poteſtatē. Timendo poteſtatem, ipſos humanarū rerū gradus aduertite. Si aliquid iuſſerit curator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi cōtrà Proconſul iubeat, non vtique contemnis poreſtatem, ſed eligis maiori ſeruire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælata eſt. Rurſum, ſi aliquid ipſe Proconſul iubeat, & aliud iubeat Imperator: nūquid dubitatur, illo contempto, illi eſſe ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus: quid iudicatis? Solue tributū, eſto mihi in obſequium. Rectè, ſed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Maior poteſtas. Da veniam: tu carcerem, ille Gehennam minatur. & reliqua prçclarè, vbi dolum potentis nouaculę cōparat quæ ſolùm capillos radit. i. ſuperflua. ſic quicquid, inquit, tibi poteſt iratus potens, inter ſuperflua tua numera, &c. Vis autem amplius ſcire, quomodo in hiſce temporibus ſanctiſsimi Maiores noſtri ſeſe geſſerunt? Lege quæ à Catholicis fortiter ac ſtrenuè pro fide & Vnitate Eccleſię contra Conſtantium, Valētem Romanos Imperatores, & Genſericum & Hunericū Van-

Serm. 6 de verbis Domini.

dalos, ac reliquos seductos & hæreticos Principes, dicta & facta in antiquis historijs commemorantur.

Et ne pluribus te fatigem, vnum tantummodo præsentis causæ memorabile ac omni posteritati semper celebrandum exemplum adijciam. Olim per ministrum iniquitatis & Sathanæ Satellitem nomine Magnum, qui valenti Imperatori comes largitionum, & dux militum fuerat, istiusmodi voces Dei famulis antiquus serpens sibilauit, sollicitans illos, vt simuláter saltem sese schismatis societati adiungerét. Flectimini, inquit, & sinite vos moueri, vt Ariano dogmati accedatis. Veniam quidé vobis Numen, etiamsi vestra sit vera Religio, facilè daturum est, Diuinitasq; ignoscet quod nó vestra sponte, sed vi coacti feceritis. Coactioni enim semper relinquitur defensio, necessitatiq; satisfactio adest: spontaneam verò voluntatem digna accusatio subsequitur. Proinde hac ab oculos cósideratione posita, accedite libéter absque cunctatione ad subscribendum. Neq; enim clam est, si pareatis Imperatori, vos pecuniam & honores accepturos: abnuétibus verò vincula, tormenta, quæstiones, flagra, carnificinas propositas, necnon pecunijs ac possessionibus ademptis, patria carendum, & exilij tristium quorundam loco-

Trip. hist. lib.7 c.40. Theodor. lib.4.c.22

Suasio diabolica.

locorum condemnationem ſubeundam eſſe. Talia artifex & architectus impietatis cũ eſſet elocutus, orthodoxi nihil nec indignius, nec acerbius eſſe putantes veritatis proditione, illius minas pariter & blanditias contemnentes, ad hunc modum reſponderunt: Deſine de cętero, deſine huiuſmodi nos territare oratione, ceſſa verba inania proferrre. Licet enim inaniter fremas, & vndabundus fruſtra ſpumes, & tanquam procelloſus ventus irrũpas: nos tamen de pietatis via non depellemur, ſed pro orthodoxis dogmatibus vſq; ad mortem decertabimus.

Reſponſio fortis catholicorũ ad Ariani callidam perſuaſionem, vt cõtra conſciẽtiam ſubſcriberent coactę.

O vocem Chriſtianis & Catholicis viris dignam, ô inuictam & inſuperabilem piorum Chriſti athletarum magnanimitatem, ô admirandam & Deo gratam conſtantiam, & omnibus poſteris prædicandam ac imitandam fortitudinem. Vtinam eadem pietatis vis ac virtus pectoribus omnium noſtro hoc ſæculo inſideret, vtinam conſimiles ac tam neruoſi affectus mortalium mentibus altè inſcriberentur. Non certè tanta leuitate & inconſtantia de gradu ſuo deciderent, non tanta fluctuarent mutabilitate, non tam facilè quouis Antichriſti flatu agitati tanquam arundines, ad maligni ſpiritus impulſum inclinarent ac inflecterentur. Sed quid multa? Tales

ami-

Describuntur nostri temporis Prothei.

Tripart. hist. lib. 6. cap. 38.

imitantur nostri temporis mutabiles quidam Prothei, quales Ecclesiastica historia testatur tempore Iuliani Apostatæ plurimos fuisse, recta vt (qui dicebat) mẽte Christianum nomen profitentes, sed pecunias tamen & præsentem honorem æternę felicitati preponentes, ad nefanda descendisse mysteria.

Inter quos insignis & memorabilis suo facinore fuit quidam Ecebolius, qui mores Imperatorum sequens, sub Constantio quidem se finxit constantissimum Christianum, sed sub Iuliano celeriter est Paganus effectus, postque Iulianum rursum volebat esse Christianus. Nam se ante ianuas Ecclesiæ pronum prosternens, magna voce proclamauit: Conculcate me sal insensatum. Huius Ecebolij versatilem mobilitatem multos nostræ ætatis Ecebolios sequutos esse nouimus, illius tamen pœnitentiam sequutos esse non videmus: fortasse videbimus, cùm in ijs terris, quę iam corruptæ sunt, Dominus fideles dederit & orthodoxos Principes. Attamen neque istos tam facile ad Ecclesiasticam communionem admittendos puto, nisi sic fuerit antè ipsorum explorata conuersio, vt repelli nullo modo debeant.

Ecebolij versuta mobilitas.

Nota.

Ecebolios istos non facile ad Ecclesiasticam communioné esse recipiendos.

Sed hic quispiam occursurus fortè est, ac dicturus: An ego, qui multum Ecclesiæ

possum

possum prodesse, si quando Dominus de- *Obiectio.*
derit, vt Catholica Religio hæresibus, quę
iam grassantur, explosis recuperetur: me-
met iam in destinatum ac ineuitabile peri-
culum inuoluam? Annon satius est, vt me-
lioribus me temporibus reseruē? Si qui-
dem citra animæ tuæ & fratrum iacturam,
ac fidei dispendiū, saluti corporis tui pro-
spicere posis: nihil vetat, quin id libēter
ac liberè facias. Sin verò id sentias, vt cum
Ecebolio, cuius modò meminimus, pro *Responsio*
tempore simules, ac dissimules: iniquum
quidem id esset, cum capitali interioris ho
minis vulnere, externo homini, qui corrū
pitur, prouidere. At, inquis, postea istud
vlcus pœnitentia curabo. Sed id quidem
multò omnium rerum maximè est incer-
tum. Quî enim scis, quod gratiam tantam
sis cælitus assequuturus, postquam te mor *Contra eos*
tali ictu confixeris, vt postea verè resipi- *qui præsu-*
scere, & animę salutem salutari pœnitentia *munt de*
valeas recuperare? Imò cùm incertum sit *pœnitentia*
tibi, an sis in crastinum victurus diē, quo- *futura & id*
modo in longinquum differens, satis te *eo peccāt.*
saluum & incolumem fore promittis: cùm
vtrunque sit tibi incertissimum, nempe an
Deus tibi ex destinata animi voluntate
ipsius veritatem deserenti, sit pœnitentiā
daturus (Ipse enim nemini Dat spatium *Eccles. 15.*
peccandi, sicut Scriptura ait) & an tute sis

 futurus

futurus craſtina luce ſuperſtes: quum Do-
Marc.13. minus vigilare pręceperit, propterea quod
neſcimus nec diem, nec horam, in qua
Dominus venturus eſt. An tu illud Spiri-
ritus ſancti oraculũ aſpernaris, quo man-
dat, dicens: Ne tardes conuerti ad Domi-
Eccleſ. 5. num, neque differas de die in diem. Subitò
enim venit ira eius, & in tempore vindi-
ctæ diſperdet te.

Non ergo contradicas verbo veritatis
vllo modo, ſed (vt quod non ſit, fieri finga
mus) fac id tibi diuinit' eſſe donatũ, quod
per mortiferam & pernicioſam ſimulatio-
nẽ poſsis preſens periculũ euadere, & po-
ſtea reſipiſcere. An tu cum Martyrij coro-
nã Dominus tibi obtulerit, tantam & tam
exuberantem illius gratiam recuſaturus
es? An hanc propoſitam tibi palmã, tã glo-
rioſam Regni beatitudinem neglecturus?
Sed eſto: paruipendas tantam diuinę erga
te benignitatis exuberantiã. Non eſt enim
Philip.1. humani meriti, ſed diuinæ gratiæ munus,
quòd homo mortalis pro immortalis Dei
veritate ac fide vel mori, vel quidquam
poſsit perpeti.

Quid, an cùm tu te per pœnitentiam
reſtitutum videris, eos quoque reſtituere
poteris, quibus tuus lapſus fuerit offen-
diculo, & quos tuo flagitioſo exemplo in
barathrum pertraxeris? Annon perti-
meſcis

mescis illud Sacri Spiritus elogium, quo dicitur, quòd peccantes in fratres, & illorum infirmas conscientias vulnerantes, in Christum peccant? Quomodo itaque de tua solius pœnitentia veniam tibi polliceris, cùm multos ex fratribus, pro quibus Christus mortuus est, pernicioso tuo exemplo perdideris, quos tamen ab errore ipsemet conuersus reuocare non posis? Tecum ceciderunt tua simulatione impulsi, sed tecum resipiscere nolunt. Cum tu ad eam, quam sæpè iam dico, funestam schismatis & hæresis societatem temet aggregares, id te ex animo fecisse putant: sed quando ad veritatem orthodoxæ fidei & vnitatem Ecclesiæ reuerteris, in eo te simulasse iudicant. 1. Cor. 8. Nota.

Cauendum itaque omni ratione, tùm nostra, tùm fratrũ salutis gratia, ne tã pestilẽti & exitiosa simulatione implicemur. Nam cum deficis ab vnitate & cœtu fidelium, cum veritate repudiata commentitios errores amplexaris, & ab acie & exercitu Dei viuentis ad Sathanæ & Antichristi castra transfuga procurris: nõne te Sanctorum communione, quæ est in sola Catholica Ecclesia, indignum & alienum efficis? Non potes Christo simul & Belial seruire. 2. Cor. 6.

3. Reg. 18. Vſquequo claudicabis (vt Prophetæ verbis vtar) in vtranque partem? Si Dominus eſt Deus, ſequaris eum: ſi autem Baal, ſequaris eum. Ergo qui huiuſmodi ſunt, audiant Apoſtoli Pauli conſilium: Propter quod, inquit, remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret. Audiant rurſus, quid Sanctus Apoſtolus Iacobus ſcripſerit. Emundate, inquiens, manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Miſeri eſtote, lugete & plorate. Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudiũ in mœrorem. Iuſtinum Martyrem diligenter & legant & imitentur: Qui factum eſſe, ait, vt qui prius in ſeipſos graſſabantur mutuis cædibus, nunc emori mallent propter Chriſti confeſsionẽ, quàm aut mentiri, aut inquiſitores fallere. Alioqui in promptu erat, inquit, vſurpare illud vulgatum (iurata lingua, aſt animus iniuratus eſt). Ridiculum ſanè fuerit, milites in delectibus oblitos patriæ, domeſticorum, parentum, ſalutiſque propriæ, vobis ſacramẽtũ dicere, qui nihil eis præſtare poteſtis durabile: nos verò, id eſt Chriſtianis, immortalitati deuotos nõ omnia perferre, vt concupitam accipiamus ab illo, qui eam largiri poteſt. Hęc ille.

Hebr. 12.

Iacob. 4.

Apo. 2 pro Chriſtian. s

Diſſol-

Diſſoluuntur rationes & argumenta, quæ contra, vel pro ſimulatione, vel pro ſchiſmate ſolent obiectari.

CAPVT XII.

HOC loco peropportunè ſequitur, vt ea, quæ pro impietatis operculo & excuſatione confinguntur, argumenta excutiamus. Ac primò obijcitur.

Hi, qui in ſchiſmate ſunt, fidem retinent: ergo reportant finem fidei ſuæ ſalutem animarum ſuarum. Cur ergo prohibes, ne cum illis ſocietatem ineamus? 1. Obiectio

In ſimplici ſchiſmate, etiamſi fidès ſit integra, tamen quoniam charitatis calor extinctus eſt, propter odij & diſcordiæ vulnus, mors animæ infertur, & vita adimitur. Fides igitur viua, quæ per dilectionẽ operatur, eſt ea fides, quæ ſalutem animarum conſequitur. Quę in ſchiſmate idcirco eſſe nõ poteſt, quòd per diſsidij vlcus extincta ſit animæ ſanitas, & amor fraternitatis excludatur, ſine quo ſalus nulla eſſe poterit. Nam ſicut Apoſtolus ait: Qui non diligit, manet in morte. Et rurſum: Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero: — Reſponſio; 1. Petr. 1.; 1. Iohan 3.

1. Cor. 13. buero: nihil sum. Non ergo, ait Augustinus, quidquam homini prodest vel sana fides, vel sanum fortasse fidei sacramentũ, ubi læthali vulnere schismatis perempta est sanitas charitatis, per cuius solius peremptionem etiam illa integra trahuntur ad mortem. Sicuti reliquæ partes corporis omnes si sint integræ & incolumes, non seruant vitam hominis qui est corde sauciatus: sic nec fides etiam recta quidquam conducit illis, qui mortifero odij ac schismatis mucrone confossi vitalem spiritus gratiæ ac charitatis influxum perdiderunt. Illorum verò contubernium vitandum esse docet sacra Scriptura, quę ostendit, non solùm Chore, Dathan & Abiron, sed & reliquos quoq; diuina vltione interfectos fuisse, qui ad Mosis admonentis pręceptum, ab ipsorum tabernaculis non recesserunt. Ergo cauendum est, ne nos Ecclesiam scindentibus temerè committamus, neue consuetudinem vitæ cum illis agamus. Nam si contraria, inquit Chrysostomus, dogmata habuerint, illis commisceri non conuenit. Sin verò idem cum Ecclesia sentiunt, multo magis fugiendi sunt. Quid dicis? Eadem, ais, est fides: orthodoxi sunt & ipsi. Qua ergo ratione nobiscum non sunt? Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Si quæ illorũ sunt, rectè

Contra Donat. l. 1. c. 8.

Num. 16.

Hom 11. in 4. Ephes.

recté

rectè habent : nostra vtique male habent. Si verò nostra rectè, ergo illorum male. Hæc è D. Chrysostomo.

Cur ad Schismaticorum conuentus accedere recuses, præsertim cùm sacræ solummodo literæ in illis recitentur, quas pij & audire, & discere, & obseruare debent? 2. Obiect.

Ideo quidem ad illorum secessiones non venio, quòd Dominus præceperit, ab ipsorum tabernaculis separari. Quòd verò ad sacrarum literarum lectionem pertinet, ea est Catholicis, & Schismaticis, & omnibus propè hæreticis communis. Anabaptistæ, Ariani & reliquæ sordes Sacras literas in suis conuenticulis assiduè euoluunt, nec tamen idcirco ad illorum venenata conciliabula procurrendum est. Habent illi quidem Scripturas, sed, sicut olim Artemonitæ hæretici, corruptas ac deprauatas, atque ad sua prodigiosa dogmatũ portenta sic attemperatas, vt illis adstipulari videantur. Iactitant enim singulæ sectæ, sicut Artemonitæ quondá gloriari consueuerunt, se exemplaria habere emendatissima, cùm inquinatissima habeant. Semper enim emendant, quibus semper displicet quod emendant, & noua subinde perquirunt, cùm quæ in vsu sunt, eis

Responsio
Num. 16.
Euseb li. 5. Eccles. hist Cap. 28.
Scripturas recitatas in conciliabulis hæreticorum audire nō licet, quia corruptas habent.

videantur aduersa. Ergò cùm cōstet, apud vniuersos Sectarios Scripturarum volumina adulterinis annotationibus, interpretationibus & versionibus esse corrupta & deprauata: pijs omnibus summopere est cauendū, ne in ipsorum conuentibus Scripturas audiant. Nam dum salutares sacrorum Eloquiorum latices bibere cupiunt, Nota. cogentur simul & eorum fœces ac immixta venena haurire, vnde etiam & pereāt.

5. Obiectio *Quare cum illis precari prohibes, cùm apud ipsos Psalmi ijdem decantentur quos Propheta Dauid confecerit, & quos orthodoxi canunt?*

Responsio Psalmos eosdem habere Schismaticos, Hæreticos omnes, & Iudæos etiam, fatemur, quos Ecclesia Christi habet & canit. Sed ideò pariter cū illis orare nolumus, quòd ipsi se à Christi corpore Ecclesia præciderunt, & charitate & spiritu precum, de quo loquutus est Propheta Zacharias, careant: sine quo spiritu nullæ preces nec Deo acceptæ, nec hominibus salutares ac vtiles esse possunt. Ergo cùm eorum preces sint non solum inefficaces, eò quòd absq; spiritu gratiæ fiunt, sed etiā execrabiles, quod cum fraterno odio in schismate fundātur: certè cum istis, qui se ab Ecclesiæ precibus seiun-

seiunxerunt, quicunque de Christi Ecclesia sunt, supplicare verentur. Et meritò quidem. Nam si cum illis orando communicauerint, orationum Ecclesiasticarum participes non sunt. Id quidem antiquo olim sæculo sancitum est ab orthodoxis Præsulibus nostris Maioribus in Concilio Antiocheno. Sic enim est ab illis definitũ: Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei & Scripturas sacras audiunt, non autem communicant in oratione cum populo, sed quadam intemperantia se à perceptione sanctæ Communionis auertunt, hi de Ecclesia remoueantur, quoad per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur. Cum excommunicatis autem non licere communicare: nec cum his, qui per domos conueniunt, deuitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum est. Si quis autem de Episcopis, aut Presbyteris, vel Diaconis, seu quilibet ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiã iste priuetur communione, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ. Ecce animaduertis, prohibitum esse, ne cum illis simul oremus, qui orationes Ecclesiæ declinant, id quod schismatici omnes faciũt: atque præterea eos anathematis vinculo innodari, qui simul cum excommunicatis

Conc. Antio. Can. 2.

Cum illis non esse orandum qui orationes Ecclesiæ deuitant.

Com-

Communionem percipiunt. Quare cum Schismaticis non est oratione ac precibus communicandum. Si plura cupias hac de re, lege quæ sunt superius scripta Capite octauo.

4. Obiect. *Nunquid Sacramenta fructuosè accipiũtur in schismate, quando idem ritus, qui per Christum & ipsius Spiritũ Apostolis, & per Apostolos Ecclesiæ fuit traditus, seruatur, eadẽ verba, eadem intentio, eadem administrationis forma retinentur? Nunquid cùm ego id videam & intelligam, reprehendendus sum, si integrum Christi Sacramentum ab homine licet non integro accipiam?*

Responsio Contra Donat. l.3.c.17 Huic rationi respondit D. Augustinus, qui ita scribit: Sacramenti integritas vbiq; cognoscitur, sed ad peccatorum illá irreuocabilem remissionem extra vnitatem Ecclesiæ non valebit, nec in hæresi aut schismate constituto. Rationem verò reddit Augustinus, cur sic de illis, qui in schismate sacramenta licet integra percipiãt, pronunciet. Remissio verò peccatorum non Tractat.6. in Ioan. datur, nisi per Spiritum sanctum: sed Spiritus Sanctus non inhabitat in illis qui ab Ecclesia præcisi sunt. In sola itaq; Catholica

lica Ecclesia cum Spiritus sanctus datur, in
sola Catholica peccatorum remissio ac-
quiritur. Sed ipsa verba summi viri adij-
ciemus. Non habet, inquit, Dei charitatẽ,
qui Ecclesiæ non diligit vnitatem, ac per
hoc recte intelligitur dici, quòd nisi in Ca- Contra Do
tholica non accipiatur Spiritus sanctus. na.l.3.c.16
Ergo aliud est sacramentum, quod habe-
re etiam Simon Magus potuit, aliud ope- Actor. 8.
ratio Spiritus, quæ in malis hominibus
quandoque fieri solet, sicut Saul habuit 1.Reg. 19.
Prophetiam: aliud operatio eiusdem Spi-
ritus, quam nisi boni habere non possunt,
sicut est finis præcepti charitas, de corde
puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. 1. Timot.1
Quodlibet hæretici & schismatici acci-
piant, charitas, quæ cooperit multitudi-
nem peccatorum, donum est proprium 1. Petr. 4.
vnitatis & pacis. Charitas enim Christia- Contra lit.
na nisi in vnitate Ecclesiæ non potest cu- Petil. lib. 2
stodiri. Ex animali autem sensu omnes dis- Cap. 77.
sensiones & schismata generantur. Sed Contra Do
animalis homo non percipit ea, quę sunt nat. l. 1. c. 18
Spiritus Dei. Schismatici itaque omnes 1. Cor. 2.
& hæretici cùm animales sint & sine Spi-
ritu Christi: Sacramenta & Scripturas, si-
cut Augustinus ait, ad speciem tenent,
non ad salutem. Nam ad salutem & vi- Contra Do
tam æternam nemo pertinet, nisi qui ha- na.l.3.c.19
bet Caput Christum. De vnitat. Eccles. c. 16

Habe-

Habere autem Christum Caput nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit quod est Ecclesia. Iam verò quòd ad te pertinet, qui Sacramenta cum schismatico participas, aut id facis sciens ipsum schismaticũ esse, & tum quidem tantò facis periculosius, quantò scientius: aut nesciens ipsum schismaticum esse, ignoranter quidẽ illi as-

Nota. sociaris, existimans ipsum esse de Ecclesia, & tum profectò in alterius comparatione minus peccas. Sed tamen qui huiusmodi sunt, sacrilegio schismatis, inquit Augusti-

contra Donat. l.1.c.5 nus, vulnerantur non ideò non grauiter, quòd alij grauius.

9.Obiectio *Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Ergo cùm schismatici in Christi nomine congregati, Christum habeant in medio ipsorum: vt quid tu eorum conuentus vitandos esse dicis?*

Responsio Suadeo quidem, ab eorum Schismaticis conciliabulis recedendum, quòd ipsi se ab Ecclesia separarunt, quòd ab vnitate corporis Christi recesserunt. Iustum namque est, vt à filijs Catholicæ Ecclesiæ declinẽtur, qui ipsi vltrò sese à societate Fidelium præciderunt. Ergo ipsorum secessus tibi fugiendi sunt, ne si cum illis coniungaris, à Christo & illius Spósa Ecclesia disiũgaris.

Sed

Sed iam reuertamur ad obiectionem. Schiſmatici, qui extra Eccleſiam congregantur, non magis congregantur in nomine Chriſti, quàm vlli alij hæretici. An qui contra Chriſti Sponſam pugnant, in Chriſti nomine congregari poterunt? An qui à Chriſto alieni ſunt, qui vnitatis & pacis Chriſtianæ hoſtes ſunt, Chriſtum ſecum habebunt, cùm in vnum fuerint collecti? Proinde ſchiſmatici, qui odio fraterno inflammati, à Chriſti corpore amputantur, nec in Chriſti nomine cogi, nec cum coacti ſunt, Chriſtum ſecum habere putádi ſunt. Sed non inconſultum fortaſſe fuerit, adiungere ea, quæ ad huius nodi explicationem ſunt luculentiſsimè à Cypriano Martyre conſcripta. Nec ſe, inquit, quidam vana interpretatione decipiant, quòd dixerit Dominus: vbicunque duo aut tres collecti ſunt in nomine meo, ego cũ illis ſum. Corruptores Euangelij atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prętereunt, partis memores, partem ſubdolè corrũpentes: vt ipſi ab Eccleſia ſciſsi ſunt, ita Capituli vnius ſententiá ſcindunt. Dominus enim cùm Diſcipulis ſuis vnanimitatem ſuaderet & pacem: dico, inquit, vobis, quoniam ſi duobus ex vobis conuenerit in terra de omni re quácunque petieritis, continget vobis à Patre meo, qui in cœlis

Schiſmaticos non cõgregari in nomine Chriſti.

De ſimpl. Prælat.

cælis eſt. Vbicunque fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum: oſtendens, non multitudini, ſed vnanimitati deprecantium plurimũ tribui. Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra. Vnanimitatem priùs poſuit, concordiã pacis antè præmiſit, vt cõueniat, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem poteſt ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipſius Eccleſiæ & cum vniuerſa fraternitate nõ cõuenit? Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab eius Euangelio ſeparari? Non enim nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt, & cùm hæreſes ac ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conuenticula ſibi diuerſa conſtituant, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Eccleſia ſua loquitur, ad hos qui ſunt in Eccleſia loquitur, vt ſi ipſi concordes fuerint, ſi ſecundùm quod mãdauit & monuit, duo aut tres licet collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet ſint, impetrare poſsint de Dei Maieſtate quod poſtulant. Vide, quæſo, ipſum locum, qui vt prolixus, ſic certè præclarus eſt, & diligenter conſidera, Chriſtiane Lector, qualia & quàm fortia tot ante ſecula à Chriſtiano Martyre ſunt contra Schiſmaticos ad huius obiectionis ſolutionem prolata.

Chriſti verba eſſe ad Eccleſiam, nõ ad ſchiſmaticos.

Nihil

Nihil nocere potest, nisi quod de corde profi- 6. Obiect.
ciscitur: ergo licet externo vitæ contubernio simul cum schismaticis quis consocietur, interna autem mentis cogitatione non assentiatur, non contaminatur.

Hæc ratio pro exitiosa & pestilenti simulatione militat, de qua superius satis multa disputauimus. Dominus dixit, quòd cogitationes malæ, quales sunt furta, homicidia, &c. de corde exeunt, & hominem coinquinant. Sed quid hoc facit pro Schismate? Nunquid aliquis potest secum statuere, vt vel propter emolumentum adipiscendum, vel propter dispendium temporale vitandum, Ecclesiam deserat, schismaticis adglutinetur & adhærescat absque mala cogitatione? Annon ea animi affectio, qua vnitatem corporis Christi derelinquendam existimas, flagitiosa est? Nonne cum societate Fidelium deserta te schismaticorum consuetudini adiungere statius, impiè cogitas? Quæ est, si hæc non est, impia & iniqua cogitatio?

Responsio
Vide suprà Cap. 11.
Matth. 15.

Imò non solùm facinorosum est, schismatis communionem admittere, sed etiam deliberare ac dubitare, an Ecclesiam Christi repudiare, & cum schismaticis societatem coire conueniat, iniustum ac nefarium. Ergo cùm iniqua sit cogitatio, id

Schismatis vitium & communicatio cum schismaticis procedit à corde

mente ac animo decernere, vt aliud corde retineas, aliud externo vultu & facto cóprobes & tete diuidas: annon ea solúmodo tam improba animi sententia, tam iniqua simulatio, grauissime te scelere cótaminat? Atqui si solùm cogitatio crimini obnoxium reddat, quantò magis obstrictus & reus futurus es, si iniquæ deliberationi cedens, te in societatem schismaticorum immergas?

Non solum factū schismatis, sed deliberata cogitatio, unó & dubitatio in ea re, est facinorosa

7. Obiectio

Propter externam solùm cærimoniam cuius generis est hic vel ille modus precandi, non conuenit ab Ecclesia & domo Dei, vel precum etiam communitate abstinere: Ergo cum Schismaticis simul orare licet.

Responsio

Reuera hic vel ille precandi modus, modò ne contumax superbia, & Ecclesiæ Christi contemptus, aut fraterna inuidentia accesserit, Schisma ex se non gignit. Licet enim cuique absque Schismatis periculo precari qua velit lingua, qua velit hora, quo velit loco, dummodo id agens non detrectet Ecclesiæ auscultare, non dánet ea, quæ ab vniuerso fideli populo inter orandum fieri consueuerunt. At quando nouæ precandi formulæ sic sunt constitutæ, vt propter eas, publicas totius Ecclesiæ preces abdicari & explodi oporteat, & ad

eum modum confictæ ſint, vt vſitatas & conſuetas populi Dei orationes expellant & damnēt: tum certè qui huiuſmodi precandi formulas contra vnitatem Eccleſię, & contra fraternam concordiam comminiſcuntur & inducunt, Schiſmatici iudicandi ſunt, & quicunque ſe illis aggregarint, ſchiſmatis ſacrilegio polluuntur. Nullo itaque pacto, ſi animarum noſtrarum ſaluti proſpectum velimus, ſimul cum iſtis precari debemus. In precibus cōtra Eccleſiæ morē conſtitutis cōmunicare, eſt ſchiſmaticum.

Schiſma eſſe non poteſt, vbi ſolius Dei gloria quæritur, fabulæ pelluntur, veritas docetur, mores corriguntur, pietas promouetur, ſuperſtitio excluditur, Idololatria profligatur, &c. 8. Obiectio

Nulla eſt tam peſtilens & pernicioſa Secta quin hæc omnia, ſed falsò, ſibi arrogare & aſſumere auſit. Potéſtne Chriſti gloria ab illis quęri, qui contra Chriſtum aciē conſtruxerunt, qui pro Sathana belligerant, qui oues Chriſti diſsipant, ouile Dominicum ſcindunt & diſcerpunt, qui propriam ſuam gloriá conſtabilire volunt, qui Chriſti Sponſam omnibus atrociſsimis probris & contumelijs affligunt? Quomodo verò fabulas pellere valebunt, qui veritate Catholica auerſa, ſolas fabulas conſectantur? Reſponſio

Quomodo veritatem docere dicũtur, qui errores ac hæreses assiduè disseminát: aut mores corrigere, qui omnibus cupiditatibus fræna laxant: aut pietatem prouehere, qui impietatis magistri & totius nequitiæ sunt incentores? Quomodo superstitionem tollunt, qui sua superstitiosa commenta, id est, sua deliramenta, loco & nomine Christianæ Religionis, populis non verentur obtrudere? Quomodo aũt Idololatriá pellere putantur, qui suos mõstrosos partus, suos funestos errores tanquam idola venerantur & colũt? Atq; hęc quidé singula cùm in propagáda turpissima hac omnium hæresum illuuie, quæ hodie inũdaut, designent: iactare non verentur (tanta est istorum impudentia) se vindices Euágelicę doctrinæ, se Christi Apostolos, se puræ ac syncerę doctrinæ præcones existere. Sic nimirum solent operarij subdoli se transfigurare in Apostolos Christi. 2. Cor. 11.

9. Obiect. *Iustinianus sanxit, vt ab omnibus intelligatur, quicquid in Ecclesia prælegitur, quod fit in Hæreticorum conuentibus: Ergo.*

Responsio Huius authenticæ Constitutionis Iustiniani multæ solutiones esse possunt. Vna autem illa verissima mihi videri solet, quę

non

non extrinsecus, sed ex verbis ipsis elicitur. Nam non hoc vult Iustinianus, vt in orbe Romano preces publicæ alia quàm Latina lingua fiant (hoc enim pugnaret cum omnium temporum memoria, cum ipsa illa ætate in qua vixit Iustinianus, cum Ecclesiæ Christi consuetudine, quæ tantis annorum centenarijs non aliam linguam, quàm Latinam admisit) sed vt maximè clara & arguta voce dicerentur, vt nos vulgo loquimur, alta & intelligibili. Hoc enim solùm requirit vt audiantur, ne fortassis sacerdos publicas Ecclesiæ preces tam submissè & negligenter percurrat, vt populi deuotio & feruor elanguescat. non verò, vt singulæ etiam voces, quid significent intelligantur, sed, vt Augustinus ait, vt consensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum.

Iustinianũ requirere sacerdotis altam & intelligibilem vocẽ solùm.

August de magist. c. 1

Nam & tempore Iustiniani Latina lingua, vt nunc, in vsu erat publicè apud omnes in Ecclesia, nec tamen eam omnes intellexerunt. Et si generalis hæc lex ad tantam orbis terrarum partem, quanta eius Imperio & ductu regebatur, pertinuisset (quę propria natura legis est, vt neminem excludat) tamen fieri non potuit, vt vna aliqua lingua inueniretur, quam omnes intelligerent, perinde vt La-

tina, cùm in Latina Ecclesia nulla sit profectò maior aut magis latè patens. Atq; vt Hebraica & Græca in Ecclesia Græca ac Hebraica, sic Latina in Ecclesia Latina maximè intelligitur. Neque enim aut Anglicam, aut Gallicam, aut Scoticam, aut quam aliam priuatarum gentium linguam tam multi perdiscunt aut intelligunt, quàm Latinam. Nam singulæ hæ linguæ à solis his gentibus aut perpaucis alijs percipiũtur. At Latinam linguam in ipsa primùm pueritia maxima pars Nobilium addiscũt, tum ex plebeis plærique, ex quibus in magnis ciuitatibus illa infinita literatissimorum Clericorum multitudo emanat, ex quibus Academiæ replentur, ex quibus in singulis Parochijs vnus vel alter, ipso sacerdote excepto, latinè doctus est, ex quibus etiam Iurisstudiosorum, Medicorum, didascalorum, tanta est copia, vt sine causa querantur, hanc linguam, vt alienam & incognitã, è Latina Ecclesia pellendã esse.

10. Obiect. *Eiusdem est periculi, libros hæreticorũ legere, & cum illis familiariter viuere: sed Dionysius Alexandrinus libros hæreticorũ legere solet, & magnus ac celebris vir erat habitus, nec immeritò: Ergo citra periculum cum schismaticis & hæreticis conuersari licet.*

Quo-

Quomodo & quando permittitur, cum Schiſmaticis communem vitæ conſuetudinem agere, ſuperius eſt diſputatum, nec hic repetendum. Ad argumentum autem iſtud, quod obijcitur, illud reſpondetur, quòd in ſingulis membris vacillet ineptũque & mácum ſit. Nam quòd dicitur, eiuſdem eſſe periculi, libros & volumina hæreticorum legere, & cum ipſis familiaré vitę ſocietatem iungere: falſum quidem eſt. Sæpe enim neceſſariò ſunt legenda hæreticorum ſcripta: at nulla necesſitas cogere nos debebit, vt contra Apoſtoli præceptum, qui hæreticum vitandum eſſe pręcepit, cum hæreticis communem vitam ducamus. In Concilio Niceno lecti ſunt & condemnati Arij Hæreſiarchæ libelli, & pernicioſi quidam nomine Vigilij libri inſcripti in Conſtantinopolitana Synodo & lecti ſunt, & anathematiſati. Similiter in ſecunda Nicena Synodo quædam impura & adulterina ſcripta recitata fuerunt, & Synodi authoritate damnata. Ergo vel ad cautionem maiorem, vt venenata dogmata, cũ retecta fuerint, facilius caueri queát, vel ad erroris profligationem & vberioré veritatis aſſertionem à doctis & magnis viris. etiam ea, quæ ab hæreticis relicta ſunt, literarum monumenta aliquando euoluũtur. Nam rectius refutantur quæ ex eorũ

Reſponſio

Tit. 3.

Trip. hiſt. l 2. c. 5. 6. 7

Sext. Synodi Act. 14.

Actor. 5.

Hier. Epist ad Paulum Concord.

editis libellis certò deprehenduntur commētitia dogmata. Petit etiā Hieronymus in Epistola ad Paulū Concordiensem, Epistolas Nouatiani sibi mutuò dari, vt dum schismatici hominis, ait, venena cognoscimus, libentius sancti Martyris Cypriani bibamus antidotum. Proinde & Dionysius hæreticorū scripta legisse dicitur, vt ipsorū errores & certius intelligeret, & solidius ac efficacius refutaret. Neq; id tamen fecit, nisi cœlesti oraculo monitus & excitatus. Nam in 3. suo Libro ad Philemonē sic de se scribit, sicut Eusebius refert. Ego, inquit, Tractatus hæreticorū lego, & traditiones eorum perscrutor, vt etiā videar ad horam verbis eorum pollui. Sed multū mihi confert hoc ipsum, quòd ex ipsorum verbis arguere eos possum. Denique cùm aliquis ex fratribus & cōpresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione tanquā cœni alicuius fœtore pollueret, visio mihi quædam à Deo ostenditur, quę me confirmaret, & sermo mihi tactus est, hæc mihi euidenter proloquens: Lege omnia quæcunque in manus tuas venerint, quia probare singula & discernere potes, quandoquidē ex initio tibi hæc causa fuit credendi. Amplexus sum visionem, quia & Apostolicæ sententiæ cōcordabat, dicēti: Omnia probate: quæ bona sunt tenete. Quod tametsi huic maximo viro & eminentissi-

Eccles hist lib. 3. cap. 6

1. Thes. 5.

mo populi Dei duci diuinitus est mādatū, vt omniū oīa scripta legat : non tamen idcirco sequitur, vt cuilibet liceat scripta hæreticorū peruoluere. Vtrinq; igitur claudicat hæc argumētatio. Nā scriptos ab hæreticis libellos peruolitare, quibuſdā licet: sed cōmerciū vitę cū illis agere, nulli licet. Et ex particulari alicui⁹ eximij & pcellētis viri facto, vitiosè infertur generalis sentētia. Nō cuilibet licere hæreticorū scripta euoluere.

Elizæus permittit Naaman, vt in templum Idoli cum rege suo ingrediatur & adoret. Ergo in Religionis negotio dissimulare licet. 11. Obiect.

Vt planè intelligas, & quid Naamā ab Hælizęo postulauit, & quid Propheta illi cōcesserit, integrū Scripturæ locū adscribemus & pōderabimus. Responsio Cū Naamā diuino beneficio à lepra purgatus, domū reuersurus esset, dixit Elizæo: Obsecro, cōcede mihi 4. Reg. 5. seruo tuo, vt tollā on⁹ duorū Burdonū de terra. Nō enim faciet vltrà seruus tuus holocaustū aut victimā dijs alienis, nisi Domino? Hoc aūt solū est, de quo depreceris Dominū p seruo tuo. Quādo ingredietur Dominus meus templū Rēmon vti adoret, & illo innitente super manū meā: si adorauero in templo Rēmon, adorāte eo in eodē loco, vt ignoscat mihi Domin⁹ seruo tuo p hac re. Qui dixit ei: Vade in pace. Iā cōsideremus pēticulati qd sacra Dei Scriptura referat. Primò Naamā pollicetur, se

victimam non immolaturum, nisi soli Domino. Ergo cùm de ingressu templi Remmon loquitur & adoratione, non intelligit, quòd Idolum illud adoraret. Nam si sic intelligeret, ipse secũ pugnaret, & quod superius fuerat pollicitus, nempe soli se Domino victimam oblaturum, non Dijs alienis, statim se falsò pollicitum esse ostenderet. Sed Naamã non sustulit sequenti sententia id quod prius dixerat: ergo cum de adoratione loquitur, aliud non sensit, nisi vt Dominus illi ignoscat, si simul cum domino suo templum Idoli ingressus, ipsum suum dominum illic pronus adoret. Sic enim Chaldaicus Paraphrastes illum locũ explicuit (hoc solum est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo) id est, fac precibus tuis vt condonet mihi Dominus incuruationem illam, quam cogor ex officio præstare regi oranti in Templo Remmon. Soleo enim illi tremulo & imbecilli esse vice scipionis, cum incedit, stat, aut se inclinat. Illa ergo vox (si adorauero) sic intelligenda est, si me incuruauero vt inseruiam domino meo, & illi sese incuruanti meipsum accommodem. Id quod non erat facturus Naaman studio colendi Idola. Nam antea promiserat, se omnibus Dijs alienis spretis & repudiatis, soli Domino sacrificaturum, solum Deum cæli adoraturum.

Interpretatio facti Naaman Syri, cum se incuruaret in tẽplo Remmon.

Nihil

Nihil ergo omnino pro impia ſceleratorũ hominum ſimulatione facit vel factum Naaman, vel Prophetæ dictum, Vade in pace. Nam ſi per adorationem & incuruationem ſenſiſſet cultum Idolo exhibendum, profectò Propheta nunquam illi dixiſſet: Vade in pace.

Licet confeſsionem ſchiſmatico ſacerdoti facere, & ab eodem abſolui: id etiam Ioannes Gerſon fatetur: Ergo licet cum ſchiſmaticis Sacramenta habere communia. 12. Obiect.

Hanc obiectionem quidam pij homines fecerunt, qui iam propter metum imminentis periculi & ingraueſcentem perſecutionis rabiem, à ſuis Sedibus per vim deturbati, vbi maximè commodum & tutum viſum eſt, deliteſcunt, & aliquando ſchiſmatico ſacerdoti, cum orthodoxus nullus ad manum erat, peccata confeſsi ſunt. Ergo ſciſcitantur, an id quod fecerint, fuerit abſque periculo, & an liceat ſchiſmatico ſacerdoti cõfiteri & ab eodem abſolui. Ad huius obiectionis explanationẽ illud eſt imprimis conſiderandum, duplicẽ eſſe ſchiſmatis rationem, quorum alterum (vt antea dixi) ſimplex eſt, alterum mixtum. Simplex, quando abſque vlla deprauata & adulterina doctrina, fit quædam Eccleſia- Reſponſio

ſticæ

ſticæ pacis & concordiæ diruptio. Mixtũ aũt, quando ad diuiſionis & ſciſsionis malũ, funeſtæ quoq; dogmatũ corruptelę adiunguntur. Sed & ſchiſmatis ſimplicis duplex eſt conſideratio. Nam alterum eſt apertum & cognitũ, alterum ambiguum & incertũ. Apertũ, quádo vnitas ſic violatur, vt obſcurũ non ſit, à quo violetur: vt quádo Chore, Dathá & Abiró Aaroni obſtrepebant & aduerſabantur, perſpicuũ cuiuis eſſe poterat, qui fuerunt machinatores & artifices illius ſeditioſæ turbę. At ambiguũ eſt, quando ſchiſma ſic oritur, vt facilè dijudicari nequeat, à quo ſuboriatur, & vtra pars vnitaté teneat, vtra verò ab Eccleſiæ vnitate deſciuerit Huiuſmodi ſchiſma orbé Chriſtianũ grauiter cócuſsit, quandò p Cardinales in factiones diſtractos alter Pótifex Romæ, alter Auenione creatur, & vterq; principũ quorundá Chriſtianorum ſubſidio & fauore fulciretur, vterque magno Cardinaliũ comitatu ſtipat⁹ eſſet, vterque multorũ Epiſcoporũ ac Sacerdotũ & populorũ aſſentione & obediẽtia Pótificatu defungeretur. Ná cũ tres ſimul Pótifices inaugurati eſſent, Ioánes ſcilicet 23. qui Bononię, Gregorius 12. qui Arimini, Benedictus 12. qui Auenione primũ, poſteà in Hiſpanijs viuebat: tũ quidé graui ſchiſmate eſt Eccleſia Chriſti dilacerata & in partes diſſecta, & tamé nó cóſtabat magnę Sacer-

dotū etiā atq; Episcoporū multitudini, qs eorū verus Petri succeſſor, quis adulterin' vſurpator exiſtimari debuerit. Ac pinde licet in ſchiſmata fuerint diſtracti, quoniā tamē ambiguū apud oēs extitit, qui Schiſmatis potiſsimū rei cēſendi fuerāt, & plæriq; oēs ſic affecti erāt, vt ſi certò cognoſcere poſſent, qui inſinceri ac ſubdititij, qs verus atq; germanus Sedis Apoſtolicę Epiſcopus fuiſſet, itaq̄ nothis repudiatis, legitimo Paſtori adhęſiſſent: pfectò ea tempeſtate abſq; ſcrupulo, ſicut Ioá. Gerſon ſcribit, quádiu nullus Eccleſiaſtica cēſura ſchiſmatis notatus fuerat, cōfiteri alteri ſacerdoti & ab eodē licuit abſolui. Sed quid hęc ad noſtra tēpora, in qbus nō ſolū aperta & notoria à Sede Apoſtolica defectio, ſedetiā infinitarū hęresū ſentina cū totius Eccleſię petulātiſsimo ac impudētiſsimo contēptu influit & exuberat? adeò vt nō ſolùm dogmata vniuerſa, ſed aliá religionis, Sacramētorū & cultus formulá effingere & ſubinducere audeāt? An qui eſt hoc mixto & planè Antichriſtiano ſchiſmate obſtrictus & cōtaminatus, & ab Eccleſia Chriſti diſſect', poterit cuiquá peccata remittere? An vllę ſunt Claues ligandi atq; ſouendi extra Chriſti Eccleſiā? An ab ijs, q ſunt foris, ij qui intus ſunt, quęrūt vt intromittātur? An remiſsionē peccati extra Eccleſiā ab hoſtibus Eccleſię, ab Antichriſti mācipijs, ij qui

ſunt intra Eccleſiam, poſcent? Abſit, abſit. At, inquis, adhuc ſchiſmaticus denuntiatus non eſt: quaſi qui id faciat, ſuo ſe ſcelere ſchiſmaticum & hæreticum quoque nõ denunciet, aut quaſi & ipſa ſacra Scripturæ oracula, & omnium Conciliorum definitiones in iſtos homines anathematis ſententiam non tulerint. At, inquis, ſchiſmate implicatus eſt, hæreticus nõ eſt. Aſt timendum eſt, ne huiuſmodi hypocrita, qui ſe in corde Catholicum, & externo miniſterio non ſolùm ſchiſmaticum, ſed hæreticum quoque eſſe oſtendit, quouis ſimplici, non obſtinato & malitioſo (etiam hæreſi infecto) nequior ſit & deterior. Num qui ab Eccleſiæ ſocietate abſceſsit, & cum nefandiſsimis hæreticis ſe conſociauit, nõ erit habendus talis, qualem ſe eſſe palam oſtendit? Verbo ſe Catholicum, facto & miniſterio hæreticum ſe eſſe declarat.
Nonne maius & grauius eſt teſtimonium, quod factis, quàm quod verbis confirmatur? Sed quomodo poterit Altari Chriſti ſubuerſo, profanæ menſæ accumbere, aut Corpore & Sanguine Chriſti relicto, illius loco ſchiſmaticum & ſacrilegum panem & vinum ſuſcipere, qui verè, imò qui vllo modo Catholicus haberi & eſſe cupit?
Horrenda proinde & prodigioſa hæc mõſtra Sathanæ & Antichriſti miniſterio de-

ſun-

ſunguntur, atque ab omnibus pijs tanquã venenatæ contagiones & peſtes vitari debent: tantum abeſt, vt pius quiſquam vel vlli eorum peccata confiteatur, vel à quopiam, qui non ſolùm abalienatus, ſed hoſtis etiam Eccleſiæ eſt, abſolui petat. Eſſet enim perabſurdum, vt Chriſti ſeruus à Sathanæ mancipio peccatorum remiſsioné poſtularet. Rectè itaque Optatus Mileuitanus pronũciat, quòd hæretici oẽs Claues nõ habent, quas ſolus Petrus accepit. Et Ambroſius de poteſtate ſoluẽdi & ligãdi diſputás, aſtruit, Eccleſię vtrunq; licere hæreſi vtrunque nõ licere. Ius enim hoc, vt ipſe ait, ſolis permiſſum Sacerdotibus eſt. Rectè itaq; Eccleſia vindicat, quæ veros ſacerdotes habet: hęreſis vindicare nõ poteſt, quæ ſacerdotes Dei non habet. Et altero loco ait: Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuiſione diſcerpũt. Et Beatus Martyr Cyprianus non veretur dicere, hæreticos omnes & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis ac iuris. Et Auguſtinus definitè affirmat, extra Eccleſiam peccata non remitti. Si ergo Claues apud hæreticos non ſunt, ſicut Optatus ait, ſi hæreſi nec ſoluere, nec ligare licet, ſi qui Petri fidem non habent, quam impia diuiſione diſcerpunt, Petri hæreditatem, id eſt, Claues ligãdi & ſol-

Lib. 1. contra Parm.

Lib. 1. de Pænit. c. 2.

Libro eodem ca. 6.

Lib. 1. ep. 6

Enchir c. 65. & 83.

ſoluendi non habent, ſicut Ambroſius docet, ſi hæretici & ſchiſmatici nihil iuris & poteſtatis habent, vt à Cypriano accepimus, ſique extra Eccleſiam peccata non remittantur, ſicuti Auguſtinus pronuntiat: profectò ſuperuacaneum, ne dicam periculoſum, exiſtit, ab eo peccatorũ abſolutionem petere, qui propter ſchiſma extra Eccleſiá manens, Clauiũ poteſtate, quę ſoli Chriſti Eccleſię donata eſt, careat.

13. Obiect. *Difficile eſt, quocunque caſu exiſtente, hominem ex ſocietate ſchiſmaticorum pellere, ne eis in precibus ſaltem aggregetur. Quid enim ſi hac ratione inſinuare ſe quis poſſet in eorum familiaritatem, vt poſtea rectè cũ eis agat vt ſint Catholici? Vel ſeipſum reſeruet melioribus temporibus, aut hæreticos eccl. ſuis arceat beneficijs.*

Reſponſio Non eſt valde abſimilis hæc quæſtio illi, quã olim Conſentius D. Auguſtino fecit, commotus (vt videtur) quorundã nõ ſatis rei magnitudiné cõſiderantiũ rationibus, qui ſibi licere arbitrati ſunt, ſingere ſe eſſe Priſcillianiſtas, vt illos inſidioſos hæreticos è tenebris eruerét, qbus ppetuò in ore erat:

Lib. contr. mendaciũ ad Cõſentium.

Iura, periura, ſecretum prodere noli.

Cum ergo in perſecutione ſemper negabant, ſe eſſe quod erant, exiſtimabant nullo pa-

lo pa-

lo pacto illos poſſe erui, niſi ipſi ſimulãdo ſe eſſe tales, eos hac ſimulatione proderẽt, & hoc eis ex ipſa ratione finis boni licere. Quod igitur illis Auguſtinus reſpondit, idem iſtis reſponſum putẽt. Quæ eſt enim ſimulatio, ſiue verbi, ſiue facti, quæ nõ natura & genere ipſa ſuo ſit mala? Nam cùm verba inſtituta ſint, atq; adeò omnia ſigna externa, vt animi ſenſa hominibus promãt & patefaciant: qui aut verbis, aut etiam factis ſe aliũ hominibus foris oſtendit, quàm reuera intus ſit, in ipſam rerum naturam peccat & offendit, tantò quidem perniciosius, quantò res ipſa, in qua delinquit, eſt grauior. Nec pietatis prætextu, quod ſuopte pondere malũ eſt, poteſt vllo modo fieri bonum, non magis, quàm ſi furari aliquis ſe velle diceret, vt eleemoſynã daret pauperibus, vel mœchari, vt veritatem alicuius rei latentẽ eliceret. Nam quæ per ſe mala ſunt, nullo recto fine bona eſſe poſsũt. Et tolerabiliꝰ certè eſt, vt lupꝰ maneat lupus, quàm vt venator aut paſtor, dũ illũ ex lupo ouẽ vellet efficere, aut à grege ſuo arcere, ipſe lupus fiat. Hęc & alia permulta cõtra illorum hoim abſurdã opinionẽ Auguſt. licet nõ eodẽ ordine, nec iiſdem fortaſsis verbis diſputat. quæ nos, quia argumentũ non omnino eſt diſsimile, ad noſtrę cauſæ commodũ trahẽda eſſe cenſuimus.

Paſtor nõ ſic debet lupum à grege arcere, vt ipſe fiat lupus.

Licet

24. Obiect. *Licet in terris Infidelium alicui Christiano & Catholico sacerdoti mutare habitum sacerdotalem in vestem Laicam, ne cognitus Christianus interficiatur, vel saltem securius habeat iter. Et D. Sebastianus legitur, clam coluisse fidem Christi, et si ferret, se publicè habitum fuisse infidelem. Ergo perinde licet nobis simulare, vel tacere veritatem, & aliud externo facto præ nobis ferre, quàm in corde intus lateat: tametsi alij nos amare partes schismaticorum putent, quia tacemus & veritatem occultamus.*

Responsio

22. qu. 3. art. 2.

Magno iudicio vir Thomas de Vio, Cardinalis Caietanus, hanc difficultatem ita soluit, vt neque acutius quenquã aliquid vidisse in hac causa, neque verius putem. Primùm igitur quasi pro confesso sumit, aliud esse profiteri fidem alienam, quod nulli hominum licet, modò Christianus Catholicus sit, siue verbo, siue facto, siue quocunque signo extrinseco id fiat. vt si quis in terra Turcica illo capitis indumento vteretur, quo Turcæ ab omnibus alijs gentibus internosci ac distingui solent, quia nimirum signum est propriũ infidelitatis eorum: aliud verò est, occultare fidem propriam, quod si debitis circum-

stan-

ſtantijs veſtiatur, nullo modo peccatū eſt. Quod ea ratione confirmat, quia confiteri fidem, non omni tempore & hora tenemur, cùm pertineat ad illud genus Præceptorum, quod vulgo affirmatiuum vocamus. Nec enim colere parentes omni téporis puncto & momento tenemur, quia tunc nec ſomnum capere, nec cibum ſumere, neque alia vitæ officia exercere poſſemus, ſed certo & tempore & loco iſta facienda ſunt. Ita & fidem Catholicam profiteri tum debemus, cum ſubeſt ratio, & periculum immineat, vel ne periclitetur honor Dei, aut etiam ſalus proximi: quorum ſi neutrum ſubſit, rectè animaduertit, licere nobis occultare fidem noſtram, atque adeò velle celare alios totum hoc, quòd Chriſtiani ſumus. Quod & tunc faciemus commodius, ſi non deſit pia aliqua cauſa, quæ nos moueat & impellat. Ná & D. Sebaſtianus hac ratione vidit ſe melius poſſe Chriſtianis Deocletiani ac Maximiani iuſſu in carcerė cõiectis ſiue cõſilio, ſiue rebus & facultatibus ſuis ſubuenire. Ita nec ego putarem, vnumquenque adſtringi, vt ſemper verbo, vel facto ſe doceat eſſe Catholicum, non ſchiſmaticum, niſi vbi vel interrogatus eſt de fide & parte ſua, vel tacendo moueret hominibus ſuſpicionem aut ſe non habere fidem, aut nõ agnoſcere

Ecclesiam Catholicam, aut quòd fides quã habet erga Deum, & in vnum Caput Ecclesiæ atque membra eius omnia, charitas non esset vera. Quibus modis id efficeretur, vt se vel ex numero fidelium eximeret, honoremque Dei in se penitus interire fineret, vel infirmis fratribus taciturnitate sua offendiculo esset. Qui autem ista nobis obijcere solent, hoc quasi actis cuniculis tacitè agunt, vt videatur eis licere, conuenticula & loca orationis schismaticorum, quæ ipsi Catholicis vi eripuerunt, frequentare & adire, eorumque precibus interesse, modò nihil respondeant nec vnà precentur: liceat etiam vbique colloquia & sermones familiares cum eis miscere, illisque in omnibus sic vti tanquam socijs & amicis. quod nullo pacto conceditur. Preces enim schismaticas adire, & concionibus atque lectionibus hæreticorum frequẽter interesse, est proprio signo infidelitatis & schismatis eorum vti. quod quid est aliud, quam profiteri fidem alienam? Ex quo fit, vt & Dei honor imminuatur, & proximorum salus periclitetur, existimantium (vt ille venerandus senex
2.Mach.6. Eleazarus dicebat) eum, qui hoc fecerit, aut saltem simulauerit se facere, transisse ad vitam alienigenarum.

Ori-

Origenes, de quo ſuprà mẽtio eſt habita, quòd communicare cum Schiſmatico in oratione nollet, tamen ad euitandam corporis turpitudinẽ, negauit fidem. Propoſita enim ei optione, vtrũ nã ſacrificare vellet Idolis, an pati vt corpus ſuum ab Æthiope conſpurcaretur, elegit potius quàm hoc pateretur, fidem negare. Quod etiam D. Auguſt. licet omnia mẽdacia deteſtetur, tamẽ mentiri in hac cauſa licere putat. Nõ eſt ergo peccatum reticere fidem Catholicam, aut ſigno externo profiteri fidem alienam, vbi talis ratio ſubeſt. 15. Obiect. Niceph. li. 5. Eccl. hiſt. Cap. 32. Lib. de mẽdacio ad Conſent.

Originẽ tametſi doctiſsimũ virũ, tamẽ quia in multis ab Eccleſiaſtica regula defecit, in illis ſequi nó debemus, in quibus defecit. Quare vt neq; imitãdus nobis eſt, quia nimiũ potius feruẽti quàm ſapienti caſtitatis & pudicitię zelo ſeipsũ caſtrauit: ita nec ſi fidẽ negauit prius, quã ſe impudici Æthiopis facinore contaminari pateretur, eius veſtigijs inſiſtere debemus. Errauit enĩ primũ in delectu rerũ, cũ maiora mala minorib⁹ poſtpoſuit. Errauit etiã, qđ exiſtimaret vlla mala vel minima eſſe faciẽda, vt inde venirẽt bona: nec finis bon⁹, vbi cæterę deſunt circũſtãtię, rẽ totã bonã efficere poteſt: cũ bonũ, vt ait diuinus ille vir Dyoniſius Areopagita, ſit ex integra cauſa, malum Responſio. Vide iudicium Vincentij Lirinenſis de eo. C. 4. de diuinis nominibus.

autem ex [illegible] defectiuus. Augustinus vero suo more disputando permulta inquirit, neque in principio de istis compensatiuis peccatis certam & liquidá tenet sententiam, sed postea quid & ipse sentiat, exponit. Castitatem enim animi, quæ mendacio violatur, præponendam esse vult castitati corporis. quæ neque ipsa violatur, si animus in hanc turpitudinem nullo modo consentiat. Corporalis enim, ait, pudicitia corrumpi, nisi in animo, non potest: quo non consentiente, neq; permittente, nullo modo rectè dicitur violari pudicitia corporalis, quicquid in corpore fuerit aliena libidine perpetratum. Hæc Augustinus & multa præterea.

Cap.20. & vlt. lib. de mendacio.

16. Obiect.

Cùm Apostolus nos iubeat prouidere bona coram omnibus hominibus: cur non id, quod omnes homines appetunt, faciamus, vt socialiter cum eis viuamus, & externa quadam charitate iungamur, licet opinionum & sententiarum varietate disiunctissimi simus? Hoc enim quidam officium pij viri in his tumultibus esse iudicauerunt.

Responsio

Non esse hoc officium pij viri, docuit (ni fallor) elegantissimo libello piæ Recordationis Iohannes Hessellius Louaniensis contra quendam, quem eo tempore cæcus amor

Ioan. Hessels in lib. de offi io pij viri.

amor sui ita demētauerat, vt sic existimaret, sed qui vno atque altero pòst anno mutauit sententiam, & ex non dubio hæretico factus est apertè Catholicus, & in fide Catholica firmus ad mortem vsque perseuerauit. In his ergo respōsionibus nostris, vbi quàm breuissimi esse laboramus, actū agere nolumus. Ad illud tamen, quod ex Apostolo proferunt, dicimus, eos mirum in modum contorquere Scripturas, vt cupiditatibus suis prauis inseruire videátur. Non enim hoc est Apostoli studium, vt homines omnibus hominibus placere velit, etiamsi Deo displicere debeant: sed ne ita tuti simus in cōscientijs nostris corá Deo, vt non ad ædificationem etiam aliorum & exemplum viuamus, nec cuiquam calumniæ aut offendiculi causam præbeamus. Curandum est enim, vt conscientiá habētes coram Deo securam, ita & famam nitamur habere apud homines boná. Sic enim & Augustinus hunc locum Apostoli intellexisse videtur. Nolo, inquit, vt aliquis de nobis inueniat malè viuendi occasionem. Prouidemus enim bona, vt ait idem Apostolus, nō solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Propter nos, cōscientia nostra sufficit nobis: propter vos, fama nostra nō pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atq; distinguite.

Aug. ser. 1. de cōmuni vita Clericorum.

Duę res ſunt, conſciētia, & fama. Cõſciētia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens cõſciētiæ ſuę, negligit famam ſuam, crudelis eſt: maximè in loco iſto poſitus, de quo dicit Apoſtolus, ſcribens ad diſcipulum ſuum: Circa omnes teipſum bonorum operum præbe exemplum. Hactenus Auguſtinus. Si ergo fieri vtrumque poteſt, habeamus & conſcientiá apud Deũ, & famá apud omnes homines bonam. Sin è duobus alterum habere nequimus, dum conſcientia ſit corá Deo ſecura, valeat apud homines fama bona. Nam ſi hominibus placere cupimus, Chriſti ſerui non ſumus.

16. Obiect. *Hiſtoria actuum Apoſtolicorum docet, Petrũ & Ioannem aſcendiſſe in templum ad horã orationis nonam. Licebit igitur perinde & nobis, cum ſchiſmaticis ſtatis tẽporibus precandi cauſa idem templum ingredi, vt illi tunc cum Iudæis ingreſsi ſunt.*

Reſponſio Quòd Apoſtoli idem tunc Templum ingreſsi ſunt cũ illis, qui in Iudaiſmo remanſerant, negari non poteſt: fortè quia nondum erant Eccleſiæ cõgregatæ, vt in ſimili re ait Auguſtinus, nec Legalia illa adhuc erant mortifera, ſed mortua, opuſque erat, vt Synagoga ſepeliretur cum honore, ſicuti idem Auguſtinus in illa nobiliſsima concertatione cum Hieronymo docuit.

Ep. ad Honorat. de fuga in perſecut.

Ep. ad Hieron.

Actor. 16. Hinc & Paulus circumcidit Timotheum,

& cum illis, qui habebant votum, se iũxit, vt sanctificaretur cum eis secundùm legem. Omnibus denique omnia factus est, vt eos lucrifaceret. Nunc autem congregatis Ecclesijs, & per totum orbem terrarum constitutis, quæ ratio postulat, vt vel Synagogam Iudæorum obstinatissimorũ introëamus, vel in Idolio recũbamus cum Paganis & Ethnicis, vel conuenticula & ædes non sacras sed prophanas Schismaticorum frequentemus, nisi vt infirmorum fratrum conscientias vulnerãtes, in nostra consciẽtia pereat frater ille infirmus, propter quem Christus mortuus est, omnesq; ita sentiant de nobis, quòd videntes fures curramus cum eis, & cum adulteris portionem nostram ponamus? Non fuit igitur par ratio illorum Iudæorum tunc in primordijs Ecclesiæ, quæ aut nostrorum nunc est, aut etiam schismaticorum, qui semetipsos præciderunt ab Ecclesia Dei. vt nihil hîc dicam, in precibus ipsis longè aliam esse rationem. Illæ enim legitimę & diuinæ erant, hę verò à Schismaticis, nulla authoritate publica, institutæ sunt. Actor 21.

Epilogus.

Accepisti in hoc libello, Christiane Lector, quæ mihi in mentem venerunt de tetro ac funesto Schismate,

quæ si digna existimaueris tua lectione, & vtilitatem aliquam Christi Ecclesiæ afferre posse putaris, precor vt mecum pariter Patri luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectũ descendit, gratias agere digneris. sin alicubi sit offensum (quî enim fieri potest, vt in rebus tam arduis, difficilibus, & perplexis nusquam impingamus aut vacillemus?) mihi erratũ asscribatur. Meæ enim inscitiæ, quòd non animaduerterim: vel socordię & incogitãtię, quòd parum accuratè & diligenter causam pensitarim, attribui debet, si vel lapsus sim, quod nolim, vel secus quicquã, quàm res & ratio postulet, pronunciarim. Ego quod ad me attinet, nihil mihi arrogo, sed Apostolicæ Sedis Catholicæque Christi Ecclesiæ & eruditorum hominum iudicijs & censuris, mea scripta omnia, meq; ipsum totum, ea qua par est humilitate & submissione, dedo & subijcio. Quorum calculis vbi nostra non probantur, ibi ea ne nostra quidem haberi velim. Nihil enim nostrũ esse, dici, aut haberi feram, quod Catholicum non sit. Itaque si quidquam mihi in huius opusculi confectione obrepserit, quod Catholicæ consensioni & doctrinæ repugnat, id ego pariter cum Christi Sponsa Ecclesia respuo & damno.

Quòd si nimis dure & restrictè alicubi

contra

contra Schismatis authores, ac ne authores quidem, sed aut quadam imperitia & rerum ignoratione in pestem & perniciē abductos, aut fraudulentis blanditijs illectos, aut minis & terroribus adactos, pronunciare videar: id velim interpreteris, me non eo animo fecisse, vt aut cor iusti mendaciter affligerem, aut simplicioribus laqueos inijciam, interficiendo animas, quæ non moriuntur: sed vt saluti piorum consulerem, & eos, qui per Christi gratiā incolumes & sani sunt, à grauissimi morbi contagione quàm longissimè auocarem, præsertim cùm in rebus tam periculosis solicitudines & cautiones reprehendi nō soleát. Neque enim nutrici vitio vertitur, si infantem suæ custodiæ traditum sic instituat, vt à præcipitijs, fluminibus, & flāma, cæterisque, vnde periculum impendeat, sibi cauere, & quàm remotissimè abscedere assuescat. Neque medico crimini datur, si non solùm noxios & insalutares, sed etiam suspectos cibos inhibeat: Neque Nauclero, si nauis cursum longius à scopulis aut Syrtis, aut Charybdis voracibus gurgitibus direxerit: Neque militum ductori, si non tam aperto discrimini, quàm occultis insidijs præcauendo succurrat: neque certè vituperatur, qui non modò non gustare, sed ne attingere quidem ve-

uenata pharmaca præcipit. Nā in ijs, quæ perniciem & periculū conciliare possunt, vigilās & prouida circūspectio ac cautela non improbari, sed laudari debet. Nō igitur criminis loco obijciendū est, si ex abū danti quadā sollicitudine & cautione procuretur, nō tantùm vt nemo se sciens schismatis scelere cōtaminet, sed ne in illis quidē, de quibus anxius & animi incertus dubitat & hęret, graui & exitioso discordiæ flagitio obnoxius omnino aut affinis fiat.

In illis quidem casibus, de quibus ancipiti consultatione deliberatur, tutissimum erit, Ethnicorum saltem Philosophorum cōsilium sequi, qui præcipiunt, nihil faciēdum, quod dubites æquum sit an iniquū: & præterea statuunt in tali deliberatione, vbi honestum cum eo, quod vtile videtur, certat, id est (vt nos interpretari posimus) vbi pietas cum impietate, vnitas cum schismate, veritas & orthodoxa fides cum errore & hæresi digladiatur & pugnat, facinus inesse, etiamsi ad rem non peruenerit. Quid aūt præcipit Apostolus? Annon vt ab omni specie mala abstineamus? At vel leuissima Schismatis simulatio nō mala, sed pessima species est. An cōuenit, vt qui contra hæresim & schisma decertat aut decertare debet, quiq; se verū Catholicū corā Deo & hoibus & esse, & haberi cupit, aliquē prę se vultum, aliquam speciē, & colorem ostētet

& obtendat, quasi aut Schismati, aut schismaticis faueat & assentiatur: An facultatũ dispẽdio, aut vinculorũ & periculorũ metu, quidquã cõpelletur patrare, quod dubitat an schismaticũ sit? Nunquid vel tormentorũ aut mortis terrore eo amentię & impietatis prolabetur, vt ad eorũ se societatem & contuberniũ aggreget, simulans se esse qui non sit, quos a Catholica Christi Ecclesia desciuisse, contensioné & vnitatem Christianæ concordiæ & pacis perrupisse & indies perrumpere animaduertit? Absit, inquam, absit, vt quisquam tam flagitiosè & nequiter desipiat.

Sed dixerit forte quispiã: Ego quid schisma sit ignoro, & an Schismatis me labe inquinẽ, quando cũ nouatoribus istis precũ & Sacramentorũ cõmunione iungor, subdubito. Atqui hoc est, charissime frater, quod tibi persuasissimum esse cupio, nẽpe vt nihil quidquã oĩo cõmittas, de quo ambigis, rectène fieri, an secus posſit, p̃sertim in causa tãti põderis & mométi, vbi aĩę salus & Regni cælestis hęreditas periclitetur. Si subdubites, igitur hortor & cõsulo, ne feceris. Tutius est enĩ, vbi dubitatio inciderit, abstinere, quã nutabũda & vacillãte cõsciẽtia aliquid admittere, vnde crimẽ conciliari & periculum oriri posſit. Nec enim temerè ab Apostolo pronunciatũ est: Quidquid ex fide non est, peccatum est.

Si ergo reatum trahit, quicquid citra conſcientiæ approbationem factū fuerit: profectò nō abſq; re ſuademus, vt in quibuſcunq; rebus anceps & ambiguus fluctuas, in ijs te cautum & abſtinentem tantiſper, dum de tua dubitatione certius conſtiterit, exhibeas. Nam ſi id, de quo diſceptas, deuitaueris, ſecurus eris: ſin contrà per temeritatem feceris, in turbulentos te conſcientiæ æſtus conijcies.

Nec enim fieri poteſt, quin poſtea conſcientiam tuam pungat & excarnificet, ſi quid vacillans & incertus animi deſignaris. Igitur in hoc genere toto illud, quod eſt quidem tutiſsimum, fideliter obſeruandum cenſeo: vt ſcilicet quod rebus omnibus integris, & ſumma libertate & impunitate propoſita, vltrò & tua ſponte facturus non ſis, ne id vel minis, vel terrore vllo compulſus & adactus, facias.

Cum verò vbi ambigua conſultatione diſtraheris, & fluctuabundus hæſitas, conſilij inops & incertus quid ſequaris, quid fugias, propterea quòd parum tibi conſtiterit, ſchiſmaticum ne ſit de quo trepidè conſultas: illic conſultiſsimum fore puto, vt tute cohibeas, & reprimas. In hac enim perplexa deliberatione & fluctuabundo rerum ſtatu, non pertimeſcerem monere & præcipere, vt tantiſper te cohibeas, idq;

decli-

declines de quo anceps & dubius existis,
quoad omni ambiguitate sublata, & cali-
gine depulsa, quid rectè aut persequendũ,
aut omittendum sit, liquidò & manifestè
inclarescat. Atque existimo, quòd si singu
las huius libelli præceptiones & rationes
expenderis, & tecum attentè discusseris,
fore, vt tute non solùm tibi in ijs tam peri-
culosis consultationibus prospicere, verũ
etiam alijs dubitantibus prudenter & ma-
turè consulere valeas.

Idq́ue quò certius & maiore cum tua
& aliorum securitate facere possis, hoc ti-
bi inprimis Apostolicum præceptum ob-
seruandum esse cogitabis, nempe: Pro- 2. Tim. 2.
phana vaniloquia deuita: multum enim
proficiunt ad impietatem, & sermo eorũ
vt cancer serpit. Quisquis enim cõtra Apo
stolicam hanc institutionẽ, funesta & ne-
phanda dogmata, atque iam olim damna-
tas hæreses disseminantibus aures beni-
gnas accommodat, illorumq́ue prophanas
conciones, & inanes ac vaniloquos ser-
mones, quibus viuificant animas quæ non Ezech. 13.
viuunt, & rursum animas occidunt, quæ
non moriuntur, populo mendacijs credẽ-
ti mentientes, audire, atque auidis & attẽ-
tis animis arripere non pertimescit, is nõ
tam in Schismatis societatem, quàm in tur
pissimorum dogmatum approbationẽ &
per-

pernicioſi erroris aſſenſum ac patrociniũ, ſẽſim ac paulatĩ haud difficulter inducitur Cõtrà verò, qui Apoſtolicę doctrinę obtẽperãs, peruerſas & deprauatas hoim mẽte corruptorũ κενοφωνίας auerſatus fuerit, is facilius & minore cũ negotio Catholicę & ſanæ fidei dignitatẽ ſuũq; in cõſentienti Fideliũ cœtu ſtatum inuiolatũ cõſeruare & tueri poterit: ita vt nec peſtilenti hęreſeos cõtagione inficiatur, nec vlla vel leuiſsima ſchiſmatis ſorde maculetur. Et quoniã dulciloquæ Pſeudomagiſtrorũ voces, licet à pietate alienæ, ac proinde impiæ & pphanæ, atq; etiã veritatis vacuæ & inanes exiſtant, ſuaui tamẽ illectamento in eorũ, qui auſcultãt, aures animoſq; influũt, multum ad impietatẽ proficere ab Apoſtolo dicũtur. Cæterũ Apoſtolica præceptione nos obſtringimur, ſi modo illius dicto audiẽtes diſcipuli fuerimus, vt iſtiuſmodi impias & illecebroſas prophanitates, tanquã prarũ mentiũ corruptelas, deuitemus. Nec iniuria. Nã ſi illorũ ſermo cancri inſtar ſerpat, ac proxima queq; mẽbra depaſcat, ſanitatẽque ſi quæ inſit labefactet, ac teterrimã peſtẽ per ſingulas partes transfundat, profectò oibus modis auerſandus & fugiẽdus eſt. Quid enim aliud ſunt peruerſæ doctrinæ, quã venenata quædam pharmaca, vel humanæ facundiæ vel pernicioſæ aſſentationis quodam mellito dulcore perlita, vt

quò maiore cum dulcedine gustentur, & auidiore cupiditate ebibantur? Ast vt venenatum pharmacũ in corporis intestina & vitales partes receptum, mortem affert & interitum: ita & hæreticæ doctrinæ virus, si mentẽ & cogitationẽ subierit, interioris hominis pestem & perniciem parit.

Rectè itaq; præcipit Apostolus Paulus, hæreticũ hominẽ, vt qui peccet suo iudicio condẽnatus, deuitandũ esse: cũ & ipse propter inflexibilẽ obstinationem, corrigi nolit, & illos, qui suis veneficis incãtationibus auditũ cõtra Apostoli cõsiliũ prębẽt, pestilenti frequẽter cõtagione euertat. Nõ immeritò proinde Apostolus ipsos Romanos, quorũ fides in vniuerso orbe, sicut ipse dicit, annũciatur, obsecrat, vt illos obseruarẽt, qui dissensiones & offendicula pter doctrinã quã ipsi didicissent, facerẽt, & ab illis declinarẽt. Adq; Galatas scribẽs pcipit vt si qs annũciauerit, pter illud qd accepistis, anathema sit. Quod pfectò Apostolus tãta cũ sollicitudine, tãto verborũ & affectuũ impetu ac ardore, nec obsecrasset, nec definisset: si nõ præsentem pietatis euersionem, & calamitosam fidei ac Religionis cladem, per istiusmodi impostores Christianis populis importandam præuidisset. Idque etiam Romanis aperte declarat, dicẽs: Per dulces sermones & benedictiones seducunt

Tit.3. Rom.16. Galat.1. Rom.16.

ducunt corda innocentiũ. Reuera etenim corda ſimplicium citò in errorem abducuntur, per dulces horum ſermones, quos ex diuinis oraculis depromere videntur, & per benedictiones, quas ſuis ſectatorib⁹ ex euangelicis pollicitationibus ampliter & copiosè profundunt. Sed in vtraque re nequiter & flagitioſe ijs imponũt. Nam & ipſas ſacras Scripturas, deprauatis & corruptis interpretationibus, à vero & genuino intellectu, ad ſenſum adulterinum detorquent: & illam beatitudinem, quæ ſolis orthodoxis ac pijs Chriſti cultoribus in ſcriptis Apoſtolicis promittitur, ad ſuos aſſentatores & Symmiſtas perperam & falsò transſuertunt. Sed præcipuè in eo ſeducunt corda innocentium, quòd peſtilentes ſuas hæreſes verbi Dei nomine ac titulo palliant: quòd capitis ſui commenta, Scripturis propheticis & Apoſtolicis affingũt: quòd cogitationum ſuarum ineptias ac deliria licet euanida, turpia, fœda & monſtroſa, pręclaro tamen Euangelij fuco, colorare ac tingere non reformidant. Quid verò ad fraudē homini ſimplici ac nil mali ſuſpicanti efficacius inueniri aut excogitari poterit, quàm ſub ſalutari Euangelij pabulo, venenata dogmatũ contagia propinare? Sub verbis Apoſtolorum ac Prophetarũ, exitiale hæreſum virus occulere?

atque

atque ſub prætextu Euangelicæ doctrinę, portétoſos & extitioſos errores obtrudere? Id quod hodie paſsim ab omnibus Sectarijs nõ ſine multorũ inſtabiliũ peſte & interitu, piorũ verò lachrymis & gemitu, fieri videmus. O calamitoſá & miſerá noſtrę ętatis cõditionẽ. O flagitioſum & perditũ hoĩm circa fidẽ reproborũ conatum. O deplorãdá ſingultibus & ſuſpirijs, poti⁹ quá verbis aut ſcriptis ꝓſequendá, pietatis ac orthodoxæ religionis ſtragẽ. Atq; hæc tanta mala in Chriſtianũ orbẽ vel hinc maximè inundarunt, quòd mortiferis hęreticorũ cantilenis aures faciles pbemus, qđ iuxta Pauli cõſiliũ, eorũ cõtubernia nõ vitamus, quòd palá cũ Apoſtolo in eos, qui euangelizare aliud audet pręter id quod à Patrũ traditione accepimus, anathema intonare pertimeſcimus. Quiſquis igitur eſt cuiuſcunque ordinis aut dignitatis ſit, ſiue Sacerdotalis, ſiue Regiæ, imo etiá ſi Angelus de cælo ſit: anathema, iuxta quod Vas electionis pronunciauit, nobis ſit, ſi aliud euágelizauerit, præter id quod ab Apoſtolis & ſanctis ꝑpetua ſucceſsione Patribus fuerit euangelizatũ. Neq; verò quiſquam putet, ſibi fas eſſe, libros ab hæreticis euulgatos perlegere, ſeque Apoſtolicæ præceptioni morẽ gerere, dũmodo conſuetudines & familiaritates eorum, qui peruerſas

doctrinas ferunt, deuitet, ipsosque cõcionantes audire recuset, sed tamẽ interim illorũ pestilẽtia & furiosa scripta domi apud se reseruet & euoluat. Quos etenĩ audire ꝓhibemur, cũ sermonẽ faciunt: eorum etiã libros vetamur legere, cũ aliquid scribũt. Nã eadẽ vtrobique pestis reperitur, idem fallendi & circũueniendi propositũ, eadẽ vafricies, & veritatis oppugnãdæ, erroriiq; latius ꝓpagãdi idẽ studiũ ac desiderium. Atque licet viua vox, ex ore disserentis in aures eorũ qui audiunt transfusa, maiorẽ & viuidiorẽ quandã vim & ἐνέργειαν obtineat efficaciorque sit, ad aĩos auditorũ cõmouendos, idque in eorũ mentibus altius imprimendũ, quod nõ solũm audita, verũ etiã quodã modo oculis, atque vocis, vultus, gestusq; moderatione inculcatur: tamẽ nec mutæ literæ sua carent efficientia, & quãuis lẽtius, idẽ tamẽ p̃stant, quod actione ac ꝓnuntiatione efficiebatur, atq; cùm cõsimile venenũ cõplectantur & propinẽt, parem tandem pestẽ ac perniciẽ ꝓducunt.

Scripta itaque eorũ, qui à vera Religione desciuerunt, qui noua & Patribus non probata dogmata diuulgãt, qui hæreses & errores procudunt, tanquã prophana, vaniloqua, & multũ ad impietatẽ proficiẽtia iuxta Apostoli præceptũ deuitanda sunt, & anathema etiã in eos Paulina voce pronũciatur, qui vel viua voce, vel editis libel

lis p̄ter id, qđ per Spiritū ſanctū ab Eccle
ſiaſtica prędicatione accepim᷑, annūciare
& euangelizare nō reformidēt. Igitur ſi in
ſana & orthodoxa fide, ſani & incolumes
eſſe velimus, neceſſe eſt, vt omnes omniū
hæreticorū tā ſcriptiones, quā conciones,
quę (vt Ignatius ſcribit) ſunt diaboli adin- Epiſt. ad Trallian.
uentiones, prorſus deuitemus. Atque hoc
loco, illud, qđ multis labendi occaſio ex-
titit, aperiendū eſt: quò cæteri ſibimet cir-
cūſpectius ab eo caueant. Solet malignus &
inſidioſus humanæ ſalutis hoſtis, eos quos
in fide Catholica ſtare adhuc perſpicit, iſti- C
uſmodi aſtutijs in ſchiſmatis ſocietatē per-
trahere. Primò leuiculū aliquod obijcit,
quod ſi ſemel perſuaſerit, dein aliud pro-
ponit, quod maioris momenti exiſtat: qđ
ſi admiſſum fuerit, iā quaſi duobus hamis
captiuū & irretitū tenens, ad ea tandē ꝓ-
pellit, quæ maiora ac grauiora ſunt. Atque
ita pedetētim, & quaſi quibuſdā gradibus
ad id flagitij hominē adducit, ad quod, ſi il
lud primū obiectū fuiſſet, nulla ratione im
pelli potuiſſet. Quid igitur hic faciendum
eſſe cenſemus? Quid aūt aliud, quā vt dia- Iacob. 4.
bolo reſiſtamus, ſecundū Apoſtoli vocem,
atq; illius primę petitioni aduerſemur? At
leuiculū eſt, inquit. Nobis aūt, qui pie Deū
colimus, nihil nec leue, nec contemptibile
eſſe poterit, qđ à recto Religionis tramite

quauis ratione deflectit. An æquá leuicu lũ haberi poterit, quod è seruo Dei, seruũ facit diaboli, qđ à luce in tenebras, à vita ad mortẽ, à Christo ad Antichristũ trahit? Ne credas igitur Sathanæ tentanti, & mentienti, quãdo dicit, Hoc leuiculũ est. Nihil etenĩ verè pio Christiano leuiculũ haberi poterit, qđ Dei cultũ & Religionis causá attingat. Sicut igitur consulerẽ homini in vna aliqua re lapso & decepto, vt deinceps nõ solùm caueat, ne altius immergatur, ac ad deteriora decidat, verũetiã vt id, in quo erratũ est, corrigat: ita equidẽ homini iam integro & ab omni schismatis nota libero, persuadere cupio, vt se purũ & inuiolatũ cõseruet, primisq; Sathanæ assultibus fortiter ac assiduè resistat. Si enim in aliquo vno ceciderit, iá illaqueatus tenetur, iá captiuus est. Nã qui in vna aliqua re captus & irretitus tenetur, in numero eorũ, qui integri sunt, censeri nõ potest. Neq; enim sanus est, qui vno corporis morbo aut vitio laborat: nec liber, qui vnius seruituti astringitur: nec qui vna cõpede ligatur, solutus: nec impollutus, qui vna macula aut labe deformatur. Sic neq; orthodoxus haberi potest, qui vna aliqua in re se cũ schismaticis cõsociat, atque à populo Dei, & Fideliũ cœtu disiungit. Nulla itaque nobis sit omnino cũ schismaticis cõsociatio. Quid etenim Christi miles agat in castris Satanæ,

aut filius pacis inter discordiarum satores?
Nos itaque cõsilio Apostoli Iudæ obtẽpe-
tes: Memores ſimus verborũ, quæ prædi- Epiſt.Iud.
cta ſunt ab Apoſtolis Dñi noſtri Ieſu Chri
ſti, qui dicebant: Quoniá in nouiſsimo tẽ-
pore venient illuſores, ſecundũ deſideria
ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt q
ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum
non habentes. Nos verò, chariſsimi, ſu-
perædificantes noſmetipſos ſanctiſsimæ
noſtrę fidei, in Spiritu ſancto orantes, noſ
metipſos in dilectione Dei ſeruantes, ex-
pectemus miſericordiam Domini noſtri
Ieſu Chriſti in vitam æternam.

Vt aũt integrũ Chriſti Corpus, & ſinguli
Fideles, qui eius ſunt mẽbra, in perfectam
vnitaté & cõcordiá, omni penitus diſſen-
ſione depulſa, coaleſcere poſsint, vtq; tá illi
qui lapſi & decepti ſunt, in priſtinũ gradũ
recuperentur, qùá qui ꝑ gratiá Dei inuio-
lati cõſeruati hactenus fuerunt, in eadem
vnitatis integritate ad finẽ vſq; pſeuerẽt,
opus imprimis fuerit, vt pariter oẽs Deũ
pacis & dilectionis cũ lachrymis, vigilijs, Rom.15.
ieiunijs & ardentibus votis imploremus,
quò ille, qui eſt patientiæ & ſolatij Deus,
det nobis idipſum ſapere in alterutrum ſe-
cundùm Ieſum Chriſtũ, vt vnanimes vno
ore honorificemus Deũ & Patrẽ Dñi no-
ſtri Ieſu Chriſti, & inuicẽ nos ſuſcipiamus,

sicut & Christus nos suscepit in honorem Dei. Deinde par est, vt illi sacro & Apostolico pręcepto ab oībus obtemperetur, quo
Hebr. 13. pcipit & dicit: Obedite Prępositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilāt, quasi rationē pro aīabus vestris reddituri, vt cū gaudio hoc faciāt, & nō gemētes. Hoc enī expedit vobis. Par etenim est, vt Episcopis
Actor. 20. quos Spiritus sanctus Dominici ouilis custodes constituit, vt sibi & vniuerso gregi attendāt, & Dei Ecclesiā, quā suo sibi sanguine acquisiuit, regāt, reliqui oēs obediāt & obsequantur, quò se veras & simplices
Ioan. 10. Christi ouiculas reipsa esse declarent, quæ suū Pastorē sequantur & eius vocē sciant: alienū aūt nō sequantur, sed fugiant ab eo, quia nō nouerunt vocē alienorū. Illi etenī, si modò fideles Pastores fuerint, aīas suas pro ouibus ponere parati sunt. Et de illis
Luc. 10. Dominus dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui igitur
Epist. ad Trallian. ijs nō obedierit (sicut Ignatius scripsit) impius omnino est & irreligiosus, & Christum reijcit, & illius constitutionem ac præceptionem paruipendit.

Certissima igitur concordiæ cōseruandæ ratio iniri poterit, si iis singuli Pastoribus, Pastores aūt omnes Episcopis, Episcopi verò vniuersi Patriarchis, Patriarchę & reliqui oēs Sedi Apostolicæ & Petri in ea Successori sint morigeri & obedientes

filii, sicque oēs sic per spiritū humilitatis af-
fecti fuerint, quemodo olim Propheta af-
fectus fuit, quando cecinit: Elegi abiectus Psal. 83.
esse in domo Dei mei, magis quā habitare
in tabernaculis peccatorū: quia melior est
dies vna in atrijs eius, super milia: sique cū
eodē Propheta simpliciter precentur & di
cant: Vnā petij à Domino, hanc requirā: vt Psal. 26.
inhabitē in domo Domini, oībus diebus vi
tæ meę. Beati siquidē sunt, qui inhabitāt in Psal. 83.
domo tua, Domine. Nā sicut propheta scri
psit: Populus qui habitat in ea, auferetur Esai. 33.
ab eo iniquitas. Præcipua aūt ratio Eccle-
siasticæ vnitatis & cōciliandæ, & cōseruā-
dæ est, sicut S. Martyr Ignatius scripsit, vt Epist. ad
Diaconi & inferioris ordinis Clerici Pręs Philad.
byteris subditi sint, Præsbyteri verò &
Diaconi atq; oīs Clerus simul cū omni po
pulo, & militibus, atq; Principibus, sed &
ipsi Cęsares obediāt Episcopo, Episcopus
verò Christo, sicut Patri Christus. Et sic
vnitas, sicut Apostolicus ille vir scripsit, p
oīa seruatur. Cauendū itaque nobis est, ne
dū Apostolicū nō amplectimur consiliū &
præceptū, quo iubet, vt Præpositis nostris
obediamus, in schismaticorū contuberniū
prolapsi, æternā amittamus salutem, & in
perpetuā pręcipitemur mortē. Nā sicut B.
Martyr Irenæus literis cōsignatū reliquit:
Iudicabit Dominus eos, qui schismata ope
rantur, qui sunt inanes, non habentes Dei

Lib. 4. cõt. hæref. c. 62

dilectionẽ, suamq́ue vtilitaté potius cõside-
rantes, quá vnitaté Ecclesiæ: propter mo-
dicas & quaslibet causas, magnũ & glorio-
sum Corpus Christi cõscindũt & diuidũt,
& quantũ in ipsis est, interficiunt: pacé lo-
quentes, & bellum operantes, verè liquan-
tes culicem, & camelum deglutientes. Iu-
dicabit aũt & oẽs eos, qui sunt extra veri-
tatem, id est, extra Ecclesiá. Hęc ille beatus
Martyr. Quid igitur nobis faciendũ aliud,

Psal. 27.

quá vt singuli cũ Propheta precemur? Ne
simul tradas me cũ peccatoribus, & cum
operantibus iniquitaté ne perdas me. Qui
loquuntur pacé cũ proximo suo, mala aũt
in cordibus eorũ. Verè etenim schismatũ
disseminatores cũ pacé pollicentur, simul-
tates meditantur & dissidia. Nos verò, di-
lectissimi, eorum perniciosissimis blandi-
tijs reiectis, iuxta quod ab Apostolo edocti
sumus, solicitè seruantes vnitatem Spiri-

Ephes. 4.
1. Cor. 13.

tus, idipsum sapientes, pacem habeamus,
& Deus pacis & dilectionis erit semper no
biscum. Cui soli sit omnis honor & glo-
ria, in omnia sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

*De Schismate liber verè Catholicus & eru-
ditus, quem impressione dignissimum cẽseo.
1571. 15. Cal. Nouemb.*

I. Molanus Louaniensis, Librorum
Censor Apostolicus & Regius.

